RUDIMENTA PYRETOLOGIÆ METHODICÆ.

AUCTORE
C. G. SELLE,
Medicinæ Doctore & Professore & Charitatis Nosocomii Berolinensis Medico.

Editio altera, priori auctior & emendatior.

1787.
SUMPTIBUS BALTHASARIS COMINI.

INTRODUCTIO.

Arduum ſane negotium, nec ſine ſubſidio artis, quæ meditari docet, facile exſequendum, illud eſt, quod in norma & regula invenienda, ſecundum quam rerum comparandarum convenientiæ æſtimari debent, ponitur.

HEBENSTREIT.

INTRODUCTIO

DE TRACTATIONIS OBJECTO.

Jam ab omni tempore, præcipue autem ab illo, quum primum *Hippocrates*, genio ſuo obſervante, per longam annorum ſeriem, ante ægrorum lectum adhibito, leges quaſdam univerſales medicinæ practicæ ſtabiliverat, artis ſalutaris cultores, plures ex iisdem colligere concluſiones, hiſque iterum ſyſtemata ſuperſtruere, conati fuerunt, quorum fundamenta partim ideis precarie conſecutis ſuffulta, partim ex obſervationibus ita obſcuris exhauſta erant, ut exinde nil aliud, niſi maxima a naturæ tramite aberratio, & hinc cu-

rationes, phantasmatibus illis respondentes, redundare possent. Rebus ita comparatis, non oportebat non quam sæpissime fieri, ut unus conveniret cum altero iniquam in viam, qui, cum sibi invicem viæ munitores esse vellent, magis tantum magisque e via discedebant, id quod eo facilius evenire poterat, quum vera naturæ via ita levibus insignita esset vestigiis, ut vix ac ne vix quidem a spuria discerni posset. Hinc alter in spirituum procedebat regnum, alter adeptorum crucibulas pro naturæ oraculi sede habebat; & quis copiam hypothesium numerare vellet, pro quarum diversitate etiam systemata, iis superstructa, differebant! Non autem jam a seriori tempore medici, has nugas animadvertentes, defuerunt, quippe qui, eadem ex ratione, solam morborum observationem & curationes, ab experientia confirmatas, in morbis cognoscendis & curandis pro filo ariadnæo in morborum labyrintho adsumserunt. Ut autem priores, neglecta observatione, ex solo ratiocinio morborum rationes divinare volebant, sic hi ad alterum progrediebantur extremum, omnes ex observationibus rationes colligendas funditus rejicientes (a). Neminem quidem,

(a) Cels. *de Med. Ed. Alm.* p. 7.

qui animum paulo altius ad medicinæ ſtatum relevaverit, de neceſſitate, ambo, ad morborum naturæ indagationem, combinare auxilia, dubitaturum puto (*b*). Aureum vero tenere medium res omni fuit tempore quam maxime ardua, & ratiocinium, nimis ex obſervationum limitibus propulſum, exhibuit ſcopulum, quo plerique rei tam gravis moliminis tentatores perierunt. Eodem in ſtatu me nunc video, & an felicior naufragium evadam, vaticinari nequeo. Quum nempe ad praxeos ſtudium acceſſerim & præcipue ad probas, de morbis eorundemque curandi rationibus, notiones adquirendas, operam navaverim, ſyſtemata illorum non omnia complecti, quæ ad ipſam praxin rationalem ſpectant, perſpexiſſe credidi. Quomodocumque enim principia comparata erant, quibus ſyſtemata ſuperſtruxerant, nunquam ad cauſarum cognitionem atque iis medendi rationem quid valens hinc inde conſequi poſſe, animadverti, & fructus, quos ex morborum indagatione, ſecundum hæc ſyſtemata inſtituta, mihi decerpere potui, nec majoris, neque minoris erant momenti, quam ut exinde mirandam diverſitatem prin-

(*b*) Cels. l. c. p. 12.

cipiorum didicerim, quæ basin systematum formabant, quæque nulla alia fere ratione nisi loquendi more, differebant. Et quamvi ex historica morborum comparatione ad cognitionem eorundem philosophicam non valeat consequentia, (cujus omnino ratio tantum in exigua nostra rerum cognitione quærenda est) tamen nimis modo, ex hac principiorum ordinationis diversitate, sane mirandam illam de causis & curationibus morborum opinionum varietatem ortum suum trahere, facillime perspiciebam. Varias tunc diversissimasque tam de morborum ratione, quam de ipsa eorundem curatione, multorum vel pro peritissimis fideque dignissimis auctorum habitorum sententias pervolventi, in mentem mihi venit, annon ille medicorum de una eademque re dissensus, ex certa morborum ipsorum differentia, ad quam non attendissent, manaverit, atque annon morborum ordinatio systematica possibilis sit, cujus fructus ad ipsam praxin protendunt? Et revera ex frequenti lectione & cogitatione mihi constare videbatur, dari adhuc morborum differentiam, quæ hucusque in systematibus ex toto neglecta erat, cujusque attentio in ipsa praxi eximie fructuosa esse

posset. Quum porro nulla mihi dubitatio remaneret, seriem, qua natura res concatenavit, illam esse, quam maxime in rebus ordinandis sequi debemus, neque hanc arbitrariam eamque ita diversam, veluti revera in systematibus occurrit, esse posse, facile conclusi, ordinem naturalem illum esse, qui hucusque neglectus fuerat, quique omni cum studio quærendus esset, dum innumeris illis opinionibus atque contradictionibus in morborum philosophica indagatione ansam præbere nullomodo valeat. Abstraxi tunc quædam, quæ ad hanc differentiam spectant, quæque in praxi mihi utilia fore, existimavi. Hujus laboris primitiæ, mox pro specimine inaugurali exhibui (c), easque postea paulo emendatiores reddere conatus fui. Praxi nunc magis initiatus, hanc morbi considerandi rationem semper adhuc pro ea habeo, quæ prototypum scientiæ medicæ esse debet, eamque hinc semper emendare studui, quamvis multa adhuc supersunt, quæ voluntati meæ atque benigno artis peritorum applausui debeo. Ad principia autem systematis mei determinanda, prima nosologiæ & pathologiæ principia revocare,

(c) *Methodi febrium naturalis Rudimenta*. Halæ 1770.

coactus ſum . Hinc ea , Benevole Lector , indulgeas , quæ Tibi nimis ambigue adducta videntur , quæ autem neceſſarie præmonenda eſſe arbitratus ſum , ne ex neglecta principiorum expoſitione methodum meam , ſecundum alia principia eam perpendens , inique judicares . Cæterum , nec ore alieno indicta , neque omni plane dubio atque errore experta hic proferre credo : difficile enim eſt , „ recte co-„ gitare , recte ſcribere , difficilius , ut nobiſ-„ cum idem ſentiant , alios adducere " (*d*) . Jam ergo ad inceptum meum proſequendum me nunc accingo .

(*d*) MEAD.

DE NOSOLOGIÆ OBJECTO.

§. 2.

Antequam ſcientiæ cujuſdam limites certo modo circumſcribere poſſimus, omnium primum eſſe debere, ut tam ſubjeƈtum, de quo agi debet, quam prædicatum, qualem nempe conditionem vel modificationem ſubjeƈti determinati traƈtare mens eſt, rite indicemus, ex primis philoſophiæ principiis apertum eſt. Neque minori gaudet evidentia, morbum tum pathologiæ & therapiæ tum noſologiæ exhibere ſubjeƈtum. Et ſicut in therapia curatio eſt prædicatum, quod de morbo in hac ſcientia dicendum eſt, ſic morborum differentia præbet in noſologia ſubjeƈti prædicatum.

§. 3.

Jam ergo morbi notio ponenda erit. Hoc pro ſcopo auƈtores plerumque ſanitatis notionem primo explicare ſolent, ut exinde eo ſa-

cilius morbi ideam educant. Quum autem nemo in dubium vocaverit, morbi quidem & ſanitatis notiones directe ſe oppoſitas eſſe, ambo tamen primarie ex uno eodemque fonte promanare, id quod *Galenus* jam monuit (*e*), ſimul etiam patet, quod, poſita hujus notione, illius idea ponatur. Hinc jam ad morbi notionem eruendam nos convertamus, quo ſimul, quid ſanitatis voce nobis venire debeat, patebit. Antea vero lemmata quædam præmittere liceat, ſecundum quorum normam tum auctorum de morbo ideas judicare, tum noſtram ſtabiliendam ſuffulcire poſſimus.

§. 4.

Quando evictum atque extra omnem dubitationis aleam poſitum ſit, omnia phænomena, quæ in regione mundi materialis occurrunt, quæque ſenſibus noſtris externis ſeſe manifeſtant, ex peculiari corporum mixtione & organiſatione manare; ſequitur, omnia phænomena atque mutationes machinæ humanæ, quæ ſenſibus obviam prodeunt, ex ſingulari ejusdem ſtructura ſolidorum & mixtio-

(*e*) *Method. med. l. c.*

ne fluidorum resultare (*f*). Ex hac propositione sequentia elicere possumus corollaria: Stat corporis fabrica pro causa, uti phænomena pro effectu. Hinc hic ab illa separatim cogitari potest, quamvis unum absque altero vere existere nequeat. Quamvis autem causa effectu prius cogitari debeat, tamen nihil de causa effectus cujusdam dici potest, nisi antea effectus certo quodam modo cognitus atque determinatus sit, vel, ut melius me explicem, antequam de causa rei cujusdam sermonem

(*f*) Ne magis hac ex propositione concludatur, quam intendo; monitu opus esse credo, hanc thesin, quæ, ut plerique opinantur, immediate ad materialismum ducit, cum animæ spiritualitatis systemate, optime eademque vi, consistere. Hic tantum de peculiari partium conditione sermo est, qua aptæ fiunt, ut anima illarum ope effectus suos edere possit. Sicut enim partes corporis absque anima vivificante functiones suas præstare nequeunt, sic magna gaudet probabilitate, quod anima corpore separata, phænomena sensibus nostris externis manifesta, exserere nequeat. Hinc jure meritoque concludimus, nullam corporis mutationem ex solius animæ vi, nisi interveniente corporis fabrica, oriri, atque versa ratione, omnem animæ mutationem ex partium corporis mutatione deducendam esse, simul consequimur, quamvis prima ratio, cur partes ex variis stimulis tam sanitatis quam morbi phænomena producere valent, forsan in animæ cooperatione quærenda sit. cf. *Urbegriffe von der Beschaffenheit, dem Ursprunge und Endzwecke der Natur*, Berlin 1776. *Philosophische Gespræche*, Berlin 1780.

instituamus, necesse est, ut antea notio ponatur rei ipsius. Hoc tanta gaudet evidentia, ut probare id ulterius, me puderet. Quid sane enim imprudentius, quam causæ cujusdam rei exploratio, de qua nondum constat nobis notio? Atqui tamen multi auctores hic errarunt, qui, dum morbi definitionem dare volebant, de morbi natura disputarunt, antequam cognitum erat, quid sub morbi voce illis veniret. Nihil ergo ordini rerum magis congruens, quam ut primo vocis vim explicemus, antequam rei, sub voce indicatæ, causam vel naturam inquirere velimus. Vel, aliis verbis, in omni rerum indagatione cognitio historica philosophicæ præponenda est.

§. 5.

In omnibus scientificis veritatibus exponendis, omnes voces, quibus utimur, rite definiendas esse, nisi omni jam sensu æquivoco expertes sint, ex hoc sicut ex primis humanæ cognitionis elementis constat. Definitio autem characterem distinctivum præbere debet, quo res aliqua ab aliis omnibus semper & ubique discerni potest. Hæc definitio ratione medio-

rum, quibus ſigna ſunt perceptibilia, duplicis eſt generis. Quodſi enim omnes res ſenſibus noſtris externis animadverti poſſent, neceſſe quoque fore, ſequitur, ut ille character diſtinctivus tum ſenſibus externis mediantibus, tum ſenſuum internorum ope animadverti & concipi poſſet. Satis nota autem eſt illa rerum differentia inter res in abſtracto & inter res in concreto. Res in abſtracto tantum ſenſibus internis diſcerni poſſunt. Rerum in concreto autem duplex eſt genus. Alterum enim ſenſibus noſtris externis patet, alterum vero ex phænomenis modo adeſſe, concludere poſſumus. Sic convulſio muſculorum ens præbet in concreto, quod organis externis ſenſoriis animadverti poteſt; vermes autem, qui illam produxerunt, ſenſibus externis latent, quamvis omnino entia in concreto conſtituant, quæ autem ex phænomenis tantum, quæ in corpore efficiunt, cognoſci poſſunt. Patet ex his, duplex dari genus definitionum ratione ſignorum adhibendorum. Res in abſtracto tantum ſignis, ſenſibus internis conſpicuis, definiri poſſunt, quoniam ipſæ ſenſum externum fugiunt. Ut autem res in concreto ſemper & ubique diſcernere poſſimus, neceſſarium ea-

rundem definitionum requisitum erit, ut characteres sensibus externis quoque sint conspicui, qui tum pro rerum diversitate supra memorata vel e re ipsa vel ex effectibus ejusdem sumendi erunt. Nunc absque dubio facile quisque largietur, morbum ens esse in concreto. Hinc illum definiendo characteres ponendi sunt, qui sensibus externis patent, ut lege eorundem semper & ubique distinguere possimus, an homo sanus vel male adfectus habendus sit. Quum porro nemo inficias iverit, morbum ipsum sensibus externis percipi posse (*g*), in ejusdem ponenda definitione signa ex ipsa morbi manifesta conditione sumenda erunt.

(*g*) GAUBIUS quidem in *Inst. pathol.* §. 85. morbum in sensus non incidere adfirmat, tamen de natura morbi tantum id intelligendum esse, ex capite ejusdem de natura morbi patet. Omnino quidem latior morbi notio omnia comprehendit, quæ in corpore a naturali conditione aberrant, at, quoniam causæ in sensus non cadunt, aliquo jure, morbum sensibus externis percipi non posse, dici potest. Hæc autem morbi notio in nosologia admitti non debet, quoniam alias causa cum re ipsa confunditur, id quod varium eumque non innoxium dissensum producere potest.

DE MORBO.

§. 6.

Morbi terminus triplici ſenſu apud auctores occurrit. Et primo quidem notionem involvit illius ſtatus, quo fit, ut actiones lædantur. Ita definierunt morbum Galenus ejusdemque defenſor Vallesius (*h*), Freitag (*i*), & Gaubius (*k*). Inquirendum erit, an hæc definitio præmiſſis & requiſitis noſtris ſupra poſitis reſpondeat. Facile unumquemque mecum perſpecturum confido, in hac definitione de cauſa phænomenorum ſermonem eſſe. Quum autem in omni rerum indagatione a cognitione hiſtorica incipiendum ſit (*l*), atque hæc ex phænomenis ſumi debeat, primam quoque

(*h*) „Morbus eſt affectus præter naturam, a quo aperte læduntur operationes." v. *Controv. med. & philoſ.* L. IV. Cap. I.

(*i*) „Morbus eſt conſtitutio partium præternaturalis, actiones lædens." v. *Diſſ. de ſanit. & morb. natur.* §. 5.

(*k*) „Status ille corporis humani viventis, quo fit, ut actiones, homini propriæ, non poſſint apposite ad leges ſanitatis exerceri, morbus dicitur." l. c. §. 34.

(*l*) v. §. 3.

morbi notionem ex iis petendam esse, patet. Hinc hac ex ratione hanc definitionem jam esse rejiciendam, simul adparet. Quum autem porro hac in definitione nulla exhibeantur signa, sensibus externis conspicua, necessario altero caret requisito supra postulato (*m*), hinc nullo modo in usum verti potest. Quantis præterquam hæc definitio obstructa est difficultatibus, quæ signorum usum impediunt, quo tamen nihil est magis necesse! Quoties deprehendimus peculiarem humorum crasin; quæ a naturali aberrat, solidorum structuram, quæ nihil minus quam naturæ consuetæ præ se fert faciem, ubi tamen nullam in functionibus læsionem vel in qualitatibus sensibilibus alienationem detegere possumus! quis tunc hominem ita comparatum insanum diceret? Nonne saltim ex vocis usu consueto magna allucinatio inde oriretur? Annon homini illi, medicus, ad sanationem approperans, in ridiculum foret? Et quoties, versa ratione, ne minimam corporis interni a naturali statu deflexionem, uti saltim nobis videtur, detegimus, ubi tamen functionum læsio manifeste in sensus occurrit, & quisque hominem illum

(*m*) v. §. 4.

morbum alere, dicet! Quodsi porro ignorantiam his adnumerare velimus, in qua circa corporis conditionem versamur, quæ ad veram sanitatis indolem necessarie requiritur, facile hujus definitionis nullitatem deprehendere oportet. Quonam porro jure defensores hujus definitionis morbi causæ notionem ab illa morbi seorsim spectare ac exhibere possunt, quum ipsam veram causam pro ipso morbo sumserint? Nonnulli tandem sibimetipsis tanto magis adplauserunt, quo certius crediderunt, quod definitio realis multis parasangis nominalem superet. Sed tunc morbi notio tantum abstracta est, nunquam autem definitionis præ se fert speciem, quæ ante ægrorum lectum adhiberi possit. Ex his omnibus facile mancum hujus definitionis constare poterit: quique ergo absque dubio & sine allucinatione certo modo definire cupit, quando homo pro sano sit habendus, & quo tempore sanus esse definit, ille mecum perspiciet, statum corporis internum nullo modo in morbi definitione locum habere posse (*n*).

(*n*) Conferri hic imprimis meretur, Ill. ZIMMERMANN *von der Erfahrung*, B. 3. C. 4.

§. 7.

Has difficultates nonnulli ita effugere studuerunt, ut tum actiones læsas, tum statum illum morbosum internum, qui illas produxit, definitioni conciliarint (o). Supra jam monui, completam morbi notionem in concreto tam præternaturalem constitutionem solidorum & fluidorum velut caussam, quam functiones læsas & qualitates sensibiles vitiatas velut effectus illius caussæ simul comprehendere. Hic autem totus morbi ambitus in conspectum venire non debet, sed tantum de nominali vocis definitione agendum est. Superflua ergo hæc definitio continet signa, id quod legibus philosophiæ non congruit. Cæterum ratione caussæ internæ idem valet, quod supra monitum fuit.

§. 8.

Restat ergo ultimus adhuc fons, ex quo morbi definitionem educere possumus, func-

(o) v. HOFFMANN *Opp. Ed. Gen.* T. I. P. I. C. 2. § 3. Eodem fere modo Cl. FRESE (*v* diss. *sub præs.* BÜCHNERI habita: *de optima methodo caussas morborum proximas investigandi*. p. 10) morbum definivit, dum ait: „Morbus erit interna corporis constitutio, qua in viribus „partium ejusdem dissensus adest, per ipsam tamen eandem fabricam certo gradu determinata."

tiones nimirum corporis læsæ & qualitates sensibiles alienatæ, at varii etiam auctores illam ex iis struxerunt (*p*). Nemo enim inficiari contendet, se morbum alere, si functiones machinæ sunt vel turbatæ vel suppressæ, & si qualitates visibiles a consueta naturali conditione aberrant. Hinc usui loquendi hanc definitionem quam maxime esse congruentem, patet. Quum porro omnis causæ & naturæ morbi cognitio ab externis phænomenis velut manifestis & cognitis incipiendum sit (*q*), hac quoque ex ratione generalis morbi character a phænomenis manifestis petendus est. Sunt porro actiones læsæ & qualitates sensibiles vitiatæ sensibus externis conspicuæ, hinc definitio iis superstructa, requisito gaudet supra postulato (*r*). Omnino quidem magnus functionum numerus sensus nostros externos non attingit. Sic variæ secretiones et motus, organis nostris externis latent, sic non raro qualitas vitiosa in corpore per satis longum temporis spatium abscondita remanere potest,

(*p*) Eller *de cognosc. & cur. morb.* p. 2. Ill. Zimmermann l. c. Ç c. p. 245.
(*q*) v. §. 3. cf. Ill. Zimmermann l. c. p. 253.
(*r*) v. §. 5.

antequam phænomenis morbosis externe obviam prodeat. Sed hac ex ratione signa hæc rejici nequeunt, quoniam omnis morbi cognitio phænomenis externis superstructa est, nec prius causa animadverti potest, nisi phænomena externa produxerit. Caret tandem definitio nostra omnibus iis difficultatibus, quas reliquis definitionibus adhærent. Quatenus autem læsionis vel vitii in qualitate idea extendi aut limitari debeat, proprie determinari non facile potest, ac cum GAUBIO dicere oportet „facilius esse, rem præsentem discer- „nere, quam verbis exacte definire" (*f*). Respiciendum ergo est ad manifesta vitia, quæ in sensus nostros externos incidunt, quæque pro omni rerum statu ex causa quadam præternaturali promanant, morbumque adesse declarant. Sicut ergo concursus phænomenorum

(*f*) l. c. §. 81. Ill. NITZZKI quidem hanc difficultatem absolvere existimavit, dum ait: „Morbus est dissensus „functionum corporis humani respectu suæ conservatio- „nis." v. *Elem. pathol.* §. 2. Attamen sæpe sæpius in morbis functionum dissensus ad corporis conservationem tendit, cujus exemplum motus critici dare possunt, qui tamen phænomenis morbosis adnumerandi sunt. Si enim ita argumentari vellemus, facile febres ex morborum numero relegari possent, quoniam haud raro ad corporis conservationem valent.

præternaturalium vel vitiatorum morbum ſiſtit, ſic eorum phænomenorum concurſus, quæ ſecundum naturam ſuccedunt, ſanitatem conſtituit (*t*). Quemadmodum autem abſtrahendo hanc morbi definitionem formavimus, ſic neminem crediturum puto, ut morbum abſque natura vel cauſa vere exiſtentem, habendum eſſe, vellem. Supra enim hanc objectionem jam refutatam eſſe, credo (*u*).

(*t*) v. Sauvages *Noſol. Method.* T. I. p. 67.
(*u*) v. Nota ad §. 4.

DE SYMPTOMATE.

§. 9.

Omnia phænomena machinæ nostræ, quæ a statu sano aberrant, omnibus fere auctoribus symptomatum nomine veniunt (v). Hinc ex morbi nostra definitione consequitur, quod symptoma & morbus tunc synonyma fuerint, nulla fere ratione inter se distincta, nisi in eo, quod non omne symptoma, seorsim spectatum, morbum in concreto nominare debeas. Dantur quidem morbi, ubi tantum singula functio læsa vel singula qualitas visibilis vitiosa adesse videtur, plurimi tamen morbi ex variorum symptomatum syndrome constant (x). Symptomata ergo nobis non sunt effectus morbi sed causarum sequelæ, & quoniam omnia, quæ symptomatis adnumerari nequeunt, ad causas referenda sunt, nunquam præter causam & effectum ens tertium in concreto existere potest. Sicut autem

(v) Gaub. C. c §. 83. 84.
(x) Sauvages l. c. T. I. p. 89. Ill. Zimmermann l. c. p. 245.

in capite superiori evictum datum fuerit, quod morbi nominalis definitio effectum tantum, tanquam res sensibus externis obvia, respicere debeat, sic complexa morbi notio unum alterumque conjungit, dum nunquam phænomenon absque causa separatim vere existens cogitari potest.

Hæc symptomatis verbi generalis notio est, quæ autem ab altera specialiori excipitur, quæque sæpe in errores induxit. Quo minus phænomenon quoddam ad morbi existentiam pertinet, quo magis insolitum hoc phænomenon in dato quodam morbo est, eo majori jure tale phænomenon symptomatis nomen mereri, multi putant. Hæc autem notio nec vocis vi, nec morbi ideæ congruit. Quando enim quidem tale phænomenon ad morbi existentiam necessarie haud concurrat, cum eo tamen vinculo quodam naturali junctum esse ideoque ad morbi ipsius phænomena referri debet. Alias phænomenon alius morbi est, cujus natura ab altero toto cœlo distincta est, quo in casu duo morbi simul adsunt, a se invicem prorsus distinguendi.

Cum hac secunda symptomatis verbi notione tertia coincidit, secundum quam phæ-

nomenon quoddam tunc ſymptomaticum dicitur, quando cauſa ejuſdem materialis haud in ipſa adfecta parte ſita eſt. Morbus talis idiopathico opponitur. Semper autem obſtat, quod duplex tunc ſit ſymptomatis notio, unde facile hallucinationes, ob quas evitandas melius erit, ut hic morbus, vulgo dictus ſymptomaticus, conſenſualis dicatur.

DE MORBI NATURA.

§. 10.

Sensuum externorum ope superficiem rerum quidem animadvertimus, pensitans autem hominis ingenium ulterius promovere, & intrinsecum rerum adspectui exploranti exponere naturæque secreta vestigia scrutari, conatus est; nec mirum ergo, si medici omni fere ævo morborum naturam explorandi, operam navarunt. Felices! si rem inquirendo, quæ tam momentosum, quam perutilem in toto medicinæ systemate exercet influxum, notiones antea de essentia vel natura rite distinxissent, & inter se convenientes fuissent, quid naturæ termino illis veniret. Vacillitas autem hujus notionis ex innumeris exemplis probare possem, nisi illa quemque perspectum considerem, qui libros medicinæ aliquantulum pervoluit. Hinc jam primum ex philosophiæ principiis naturæ notionem eruere liceat, quo postea eo certius morbi essentiam ponere possimus.

§. 11.

Omne ens quod existit, essentia (y) sua gaudet, & unum absque altero esse nequit. Omnes porro philosophi conveniunt, essentiam rei illud esse, sine quo res, qua talis, esse nequeat. Hanc notionem autem nondum satis determinatam esse, confusio testari potest, qua sæpe auctores, naturam morborum ponendo, laborant. Et quidem duplex apud philosophos hujus termini sensus occurrit, quem, ut videtur, medici non rite distinxerunt. Primo enim id denotat, quod rei alicui in omnibus ejusdem considerandi & denominandi rationibus, adeoque & in omnibus illis, qui cogitari de eadem possunt, statibus diversissimis eodem semper modo competit, ita ut ex omnibus illis, per quæ res est, quod est primo quasi loco atque tanquam reliquorum fundamentum, ex quo illa consequuntur, concipiatur. Hæc essentiæ notio complexa vel absoluta nominatur (z), atque ea est, ad quam

(y) Monitu hic opus esse credo, essentiæ & naturæ voces mihi semper esse synonymas, cujus apologia videatur apud HOLLMANNUM in *Metaph.* §. 32.

(z) HOLLMANN l. c. §. 15. seq.

In morborum natura quærenda, nobis respiciendum est. Nunc autem essentiæ vox alio adhuc sensu accipitur. Illud nempe, quod rei tantum sub certa quadam denominatione & consideratione competit, ita ut sine eo sub hac consideratione existere nequeat, essentia rei incomplexa vel relativa appellatur (a). Ex hac essentiæ ideæ differentia omnes illas quærelas ortas esse, quæ de morbi essentia aguntur, mox adparebit. Ut autem morbi naturam absolutam inveniamus, in eam rem inquirendum nobis erit, quæ in omnibus morbi considerandi rationibus primum fundamentum sistit, ex quo illæ fluunt. Hoc negotium optime perfici poterit, si omnia illa, quæ rei competunt, ad certas classes redigimus, ut ex iis illud seligere possimus, quod rei naturam constituit. Nec, ut nimiam prolixitatem effugiamus, de rebus in abstracto, sed tantum de illis in concreto, hic nobis agendum erit.

§. 12.

In omni ente materiali tria potissimum cogitari ac discerni possunt. Primo loco nempe

(a) l. c.

phænomena foras deprehenduntur, secundo vires cogitamus, quæ hæc phænomena producunt; & tertio certam materiæ structuram & mixtionem supponimus, ex quibus vires promanant. Quod idem certa quadam ratione de corpore animato valeat, supra datum est (*b*). Videbimus nunc quidnam ex his tribus naturæ nomine insigniendum sit.

§. 13.

Phænomena per se absque virium concursu existere nequeunt, & vires rationem continent, vel melius, constituunt existentiæ phænomenorum. Hinc phænomena rei naturam ejusdem absolutam non constituunt, quoniam in iis ipsis fundamentum non est, quod existant. Attamen varii auctores morborum naturam in ipsis phænomenis quæsiverunt. Sic plures naturam febris in calore consistere crediderunt, alii spasmum cordis & arteriarum naturam febris esse, adfirmarunt. Sed facile quisque ex supra de essentiæ notione propositis videbit, hos viros nullomodo absolutam febris naturam posuisse. Quum enim calor vel pulsus naturali celerior id esse nequit, per quod ipsa hæc phænomena existunt, haudquaquam iis

(*b*) §. 3.

essentiæ absolutæ nomen tribui potest. Sensu autem relativo omnino dici potest, febris essentiam in calore consistere, si quando nempe id tantum febris nomine insignire velimus, ubi calor præternaturalis deprehenditur, tunc omnino hæc febris absque eo calore existere nequit, quamvis ipsius febris essentia absoluta in eo non est, sed tantum illud sistit, per quod definitum existit. Est ergo hæc essentia definitionis essentia, non autem rei ipsius. Ex his satis superque consequi potest, morbi naturam absolutam in phænomenis nunquam quærendam esse.

§. 14.

Alterum, quod proxime a phænomenis abest, vires sunt, quæ phænomena producunt. Varii auctores rei viribus naturæ nomen tribuerunt (c), sed æque hoc perperam factum fuisse, probari potest. Omnes vires ex materiæ structura & mixtione resultant, neque in mundo materiali vis absque causa materiali præcedenti cogitari potest. Hinc vis primum

(c) „Natura est vis activa seu motrix, hinc natura etiam „dicitur vis totius mundi seu vis universa in mundo." v. BILFINGER *de Deo, anima & mund.* p. 278.

non eſt, per quod res exiſtat, hinc naturæ nomen ei non competit. Huic alterum argumentum accedit, quod nempe vis idea tantum abſtracta ſit, natura autem rei abſoluta verum ens in concreto ſiſtat. Ergo nec vires naturæ notionem involvunt.

§. 15.

Tertium hinc tantum, ad naturæ notionem condendam, nobis remanet. Primum nempe fundamentum, per quod vires & phænomena rei, ſub omnibus conſiderandi modis exiſtunt, materiæ modificatio eſt. Hinc hæc materiæ fabrica naturam rei abſolutam conſtituit, atque nunc facile quoque morbi natura ponenda erit. Quando enim omnes corporis mutationes foras prodeuntes ex ſingulari ejuſdem ſtructura ſolidorum & mixtione fluidorum ortum trahunt, ſequitur, naturam omnium harum mutationum in ſtructura ſolidorum & mixtione fluidorum contentam eſſe. Quamvis enim phænomena corporis animalis non ex ſola partium fabrica oriuntur, tamen anima illud non eſt, ex qua omnes reliquæ conditiones tanquam ex baſi fluunt. Anima

enim

enim absque corporis partium conditione, & versa ratione hæc absque anima vere existere possunt, neque anima rationem corporis existentiæ continet, nec, posita illa, phænomena & vires corporis ponuntur, nisi certa materiæ structura & mixtio ponatur, quibus mediantibus vires corporis ejusdemque mutationes producere possit (*d*). Hinc anima corporis animati naturam non constituit, quamvis nonnulli huic sententiæ addicti videantur (*e*). Attamen omnino ad illam semper respiciendum est, quum essentialem differentiam inter corpora animata & inanimata sistat. Hinc optimo jure, atque ut omnis dissensus avertatur, adjungi poterit, naturam corporis animalis fabricam ejusdem esse animatam, ex qua omnes vires atque mutationes ejusdem veluti ex primo fonte emanant. Quum autem porro mutationes corporis humani duplicis sint generis, quorum alterum illas comprehendit, quæ secundum statum naturalem succedunt, alterum autem eas continet, quæ

(*d*) c. f. Not. ad §. 3.

(*e*) v. MEAD. *Opp. Ed. Gœtt.* T. 1. *de Variol.* p. 12 & SAUVAGES l. c. p. 96. seq. qui autem sensum naturæ metaphysicum cum sensu ejusdem physico confundunt.

læsæ vel vitiatæ dicuntur, etiam pro hac ratione, essentiam harum mutationum duplicem esse, consequitur, & sicut absque omni dubio concludimus, phænomena præternaturalia nunquam ex sana & naturali solidorum structura & fluidorum mixtione flui posse, sic omni jure consequimur, naturam morbi in fabricæ corporis a statu naturali alienatione sitam esse (*f*).

(*f*) Hanc naturæ notionem de morbo in genere plurimi auctores posuerunt, quamvis in morbis individuis omnes fere ab illa discedant. „ Essentiam morbi non consistere in „ læsa operatione, sed in ea dispositione, per quam læ- „ ditur" apud Vallesium l. c. legitur, quocum etiam Gaubius consentit, dum ait: „ Naturam morbi generalem sitam esse in male affectis corporis vivi illis conditionibus, quibus id aptum natum est, suam confer- „ re symbolam ad actiones humanas." l. c. §. 42.

DE CAUSA MORBI.

§. 16.

Quandoquidem in toto naturæ phænomenorum regno nihil abſque cauſa vere exiſtens cogitari poteſt, nullum quoque dari morbum, quin ſuam agnoſcat cauſam, ſimul apertum eſt. Quodſi autem porro tota actualis natura ita concatenata eſt, ut ex innumeris ejus membris unum ſtet pro effectu præcedentis, ſimulque pro cauſa ſequentis & omnium ſequentium, iterum quodvis phænomenon innumeras agnoſcere cauſas, quarum ſemper altera rationem continet alterius, conſequitur. Hinc medici ſub morbi cauſæ nomine omne id comprehendere ſolent, quod ad morbum producendum ſymbolam conferre valet. In tanta autem rerum multitudine certos ponere limites fas eſt, ne altius adſcendatur, quam neceſſitas jubet.

§. 17.

Cauſa morbi eſt illud, quod morbi ratio-

nem in se continet (*g*). Hinc omne id quod ab aliis, principii nomine a causa distinctum fuit, veræ causæ præ se fert indolem, nec ab ea discernenda est (*h*). Hinc porro causa semper est ens in concreto, ratio autem ens in abstracto (*i*), atque hinc omnia ea, quæ rationem morbi continent, entia in concreto sistunt. Ut tandem in reliquis, sic in morbis producendis plures ad unum morbum efficiendum concurrunt causæ, quæ, singulatim spectatæ, rationem insufficientem existentiæ morbi, omnes autem simul comprehensæ, rationem sufficientem morbi sistunt, vel causam

(*g*) NIETZKI *Elem. Pathol.* p. 24. §. 98.

(*h*) HOLLMANN l. c. §. 272. SAUVAGES l. c. p. 74. seq. magnum inde dissensum oriri putat, si principium a causa non distinguitur. Hæc autem sententia ex falsa ejusdem de causa notione fluit, quum illam cum ratione confundit. Principium enim id vocat, quod a nobis causa dicitur; causam autem id esse adfirmat, ex quo intelligi possit rei existentia, & quod sensibus semper lateat (v. l. c. p. 81. §. 180.). Has autem notiones non omnes philosophi admiserunt, neque in nosologia locum habere possunt, quum raro vel nunquam ex principio morbi ejusdem existentiam intelligere possimus.

(*i*) v. HOLLMANN l. c. §. 271. NIETZKI l. c. §. 100. SAUVAGES l. c. §. 180. Hic auctor nempe id causam adpellat, quod nobis ratio est, atque illud sensibus externis cognosci non posse, probat.

quamdam producunt, quæ hanc sufficientem rationem continet. Relictis omnibus aliis, hic tantum de causa morbi, quæ corpori inest, aliquid monere liceat.

§. 18.

Ex causa externa, vel ex plurium remotarum concursu vitium quoddam in solidis vel in fluidis, vel in utrisque producitur, ex quo morbi phænomena primo loco oriuntur (*k*). Sic ex aeris frigiditate indeque contracto refrigerio lentor ille inflammatorius nasci potest, qui febrim inflammatoriam accendit. Lentor ille inflammatorius optime *causæ materialis* nomine insignitur. Ad febris autem existentiam hæc causa nondum sufficiens est, quoniam sæpe lentorem illum absque febri inflammatoria observare contigit. Multa ergo ad morbum producendum adhuc concurrunt, quæ non in ipsa causa materiali, uti saltim nobis constat, sed in viribus corporis, in loco, quem occupat, ejusdemque varia conditione latent. Ut enim medicamenta, sic causæ morbificæ ma-

(*k*) Facile adparet, de ea causa interna, quæ prædisponens dicitur, hic sermonem non esse.

teriales varios pro varia corporis universi partiumque constitutione effectus relinquunt. Sic ex sanguinis diathesi phlogistica nunc laryngis nunc pleuræ nunc pulmonum inflammatio producitur, quæ omnes facie differunt, hinc aliam atque aliam causam agnoscunt, quæ diversitatis phænomenorum rationem contineat. Has *causas formales* adpellare liceat, ex quibus binis demum morbi *causa sufficiens* constat.

§. 19.

Causa materialis morbi rationem sufficientem non continet, sed tantum id denotat, quod, causis formalibus exceptis, proxime morbum produxit, quo demto morbus præsens dirimitur, quo autem posito, morbus nondum ponitur. Semper hinc præternaturale quid vel in solidis vel in fluidis vel in utrisque latens sistit, ex quo, causis formalibus exceptis, sub omnibus considerandi modis morbus initium cœpit. Hac ratione ab omni causa prædisponente & occasionali, ex quibus nempe demum nascitur, satis distincta est. Sic enim colluvies biliosa putrida in primis viis petechias producere valet, atque tunc,

caufis formalibus exceptis, fub omnibus confiderandi rationibus primum fiftit fontem, ex quo petechiæ oriuntur, hinc veram caufam materialem petechiarum conftituit. Conftitutio autem cholerica, pituitofa, aer, putridis exhalationibus inquinatus, quamvis huic colluviei primarie anfam præbeant, tamen illud fundamentum haud fiftunt, ex quo petechiæ fub omnibus confiderandi modis ortum trahunt.

§. 20.

Caufa ergo formalis eft illa corporis conditio, qua fit, ut caufa materialis hæc vel illa fymptomata efficere valeat. Hinc ad caufas remotas vel præcedentes referenda non eft, fed in ferie caufarum ultimum occupat locum. Et quidem hæc caufa morbofæ conditionis notionem haud neceffarie involvit. Sic enim colluvies humorum acrium in primis viis, nervos irritando, convulfiones concitare poteft, quo in cafu colluvies acris caufam materialem, nervorum autem fenfibilitas & confenfus, caufam formalem conftituunt. Negari interim non poteft, nonnunquam & hanc caufam formalem morbofæ indolis effe. Sic

v. c. febri inflammatoriæ facile peripneumonia accedit, si laxitas pulmonum antea adfuerit, aut si pluribus vicibus individuum jam a pulmonum inflammatione correptum fuerit. Sic ex paulo sensiliori systemate nervoso, colluvie acri irritante accedente, phænomena conflantur, quæ in constitutionibus minus sensilibus haud deprehenduntur. Hoc autem in re nihil mutat. Ablata diathesi phlogistica, demta colluvie, in binis morbus tollitur, neque talis causa formalis peculiarem medici attentionem desiderat. Longe autem aliter res se habet, ubi hæc corporis conditio ita comparata est, ut a lenissimo irritamento phænomena ortum ducant, quæ irritamento proportionata non sunt. Sic in morbo hysterico ex levissimis causis, spasmi, convulsiones, dolores colici contrahuntur. Adest in hoc morbo peculiaris systematis nervosi conditio, qua, levissimis accedentibus causis, magna eaque sat molesta symptomata efficiuntur. Tunc autem hæc partium constitutio pro causa formali habere non debet, sed in conjunctione cum irritamento veram præ se fert indolem causæ materialis. Cæterum lubenter fateor, limites hic ponere, satis difficile esse, id quod autem ex culpa

notionum mearum exclusiva haud evenit, quum idem de omnibus reliquis causæ notionibus valeat. Naturæ catena tales difficultates ubique præsentat, neque membrum quodlibet absque collisione reliquorum cognosci atque determinari potest. Ad praxin nobis sufficere potest, omne id causæ formalis nomine insignire, quod in morbo producendo, viribus, corpori ejusdemque partibus propriis, atque idiosyncrasiæ tribuendum est.

§. 21.

Nemo, veluti opinor, hanc causarum differentiam, naturæ rerum superstructam esse, negabit (*l*), quin potius magnum inde in serie notionum commodum redundare, persuasus fuerit, si illius ope intelligi potest, quonam jure, eandem causam effectus oppositos producere, eosdemque effectus ex diversis causis oriri posse, dicendum sit. Quum enim causa formalis magnum in causis materialibus modificandis exerceat imperium, varia hinc quoque

(*l*) Neotericorum nonnulli ad hanc causarum distinctionem respiciunt, de qua vid. Cl. GESNER *Beobachtung. aus der Arzteneigel.* B. 1. p. 74.

phaenomena ex una eademque caufa materiali adparebunt, ubi diverfæ cooperant caufæ formales. Sic v. c. vermes varios morbos, pro varietate caufarum formalium, i. e. loci, quem occupant, idiofyncrafiæ &c., facie & fymptomatibus diverfiffimos excitare valent, ubi vermes pro vera caufa materiali habendi funt. Sic inflammatio ex diathefi fanguinis phlogiftica, ex confenfu, ex putredine evenire poteft.

§. 22.

Quodfi caufa morbi materialis illum denotet ftatum corporis præternaturalem, ex quo fymptomata primo loco tanquam ex fundamento fub omnibus confiderandi & denominandi rationibus refultant (*m*) caufam morbi materialem atque naturam morbi nobis fynonyma effe, ex naturæ morbi notione fupra pofita (*n*) patet. Hinc unum terminum alteri fubftituere liceat. Quodfi autem porro varii morbi ex una eademque caufa materiali foveantur, atque, verfa ratione, idem morbus variam agnofcere poteft caufam materialem,

(*m*) §. 18.
(*n*) §. 14.

varios quoque existere morbos, qui, quamvis diversam præ se ferunt faciem, natura tamen conveniunt, & e contrario totidem occurrere morbos, qui, quamvis symptomatibus conveniant, dissimillima tamen sunt natura, simul consequitur (o). Magnum ex hujus differentiæ attentione commodum arti enasci, infra pluribus patebit.

(o) „Reperiuntur morbi" ait Sydenhamus, „qui sub eodem genere ac nomenclatura redacti, ac quoad nonnulla symptomata sibi invicem consimiles, tamen & natura inter se discreti diversum etiam medicandi modum postulant." Additque eodem loco: „complures esse morbos, qui, licet ab auctoribus sub eodem titulo citra ullam speciei distinctionem tractentur, dissimillima sint indole." v. Opp. Præfat. Ed. Gen. p. 7. Ed. Lugd. p. 13.

Idem confirmat Gaubius, dum ait: „Possunt causæ natura convenire tametsi diversas corporis partes occupant, ideoque nec easdem præcise functiones turbant. Quod magnæ utilitatis in arte compendium". l. c. §. 63. cf. etiam Ill. Zimmermann l. c. p. 125.

DE MORBO
PROFLIGANDO.

§. 23.

Morbi curatio in eo versatur, ut causæ auferantur, quæ symptomatum rationem continent. Quum autem id tantum tollendum sit, quod præternaturale aut vitiosum corpori inest, inter omnes morbi causas præcipue ad causam materialem respiciendum esse, adparet. Negligi quidem minime debent causæ antecedentes, quippe quæ, si perdurent, omnino removendæ sunt. Sic etiam ratione causæ formalis multa in praxi attendenda sunt, quum pro illius diversitate aliam atque aliam viam ad causæ materialis ablationem sequi, nos oporteat. Attamen quæque causa materialis generalem sibi methodum vindicat, quæ sub omni causæ formalis differentia prosequenda est. Sic peripneumoniæ inflammatoriæ universalis methodus antiphlogistica convenit, quamvis simul ad expectorationis pro-

motionem attendi debeat. Cardo ergo curationis in tollenda causa materiali, hinc in auferenda morbi natura, versatur, indeque *curationem essentialem* constituit. *Medelæ ratio* autem *specifica* ex causarum simul formalium ratione haurienda atque determinanda est.

Quum porro morbus sæpe ab aliis causis ad morbi existentiam haud pertinentibus non raro adaugeatur, atque hac ex ratione phænomena harum causarum accidentalium symptomata proprio & specifico sensu nuncupentur, eas quoque in praxi nullomodo negligendas esse, adparet. Ablatio harum causarum accidentalium *curatio symptomatica* dicitur, quæ a medicis spuriis, neglecta morbi natura, sæpe curationi essentiali anteponitur.

DE METHODO MORBOS ORDINANDI.

§. 24.

Superat humani ingenii vires, omnes notiones individuales singillatim deprehendere, inque rebus agendis illas adhibere, hinc animæ fere proprium atque insitum est, ut conceptus individuales ad generaliores quosdam revocemus, qui memoriam, oneri alias confusionique cedentem, suffulcire valent, & secundum quorum normam novas rerum obvenientium notiones digerere possumus (p). Hæc virium tenuitas reique commodum quoque in causa sunt, qua factum fuit, ut ingens mor-

(p) „ Sentiunt attenti, lumen ex detecta quaque veritate „ menti natum simul diluculum esse, cum quo in cognitionem propinquæ veritatis eatur. Et sane labor infinitus esset investigandi singula: sed præcedens ratiocinatio qua similia similibus accensere, proni sumus, onus „ illud levius reddit". Kloekhoff *de morb. anim.* p. 2.
„ Das Licht von jeder entdeckten Wahrheit ist für „ uns die Dämmerung der Wahrheit, die ihr zunächst „ liegt." Ill. Zimmermann l. c. T. 2. L. 4. C. 2.

borum numerus ad genera quædam universaliora reductus, atque norma ſtructa fuerit, ſecundum quam novæ morborum ſpecies dijudicari poſſunt (q). Neceſſitas rei neceſſitatem ad illam ulterius attendendi jam ſatis evincit, & pro optima forſan mihi eſt apologia, criminationem forte ſubienti, me genio ſæculi plus nimium indulſiſſe (r). Attamen propius mihi elaborandum erit in reddenda ratione, qua multitudinem ſyſtematicorum, qui mutationes corporis humani præternaturales ad ſumma quædam genera reduxerunt, adaugendi, permotus ſum.

§. 25.

Hæc abſtrahendi ars ſimilitudini & diſſimilitudini rerum ſuperſtructa eſt, & generatim

(q) „ Genera morborum tam mirabile vinculum inter ſe & „ veluti communionem quandam habent, ut idem lu- „ men, quo unius natura profertur in conſpectum, a „ proximi lumine crebro accendatur. “ COCKBURN *Virulentæ gonorrhoeæ ſymptomata &c.* Lugd. 1716 in Dedic.

(r) KLOEKHOFF *Galenum* illos perſtrinxiſſe non cenſet, „ qui „ ſeveriore ratiocinio, ex iis quæ ſenſui aut rationi evi- „ dentia ſunt, de rebus affinibus obſcurioribus conjectu- „ ram facere, vel judicium quoddam ferre, ſuſtinuerunt. „ Eo enim omnes natura ducit: idem jucundum ſemper, „ nec raro utile, quin & neceſſarium eſt. “ l. c.

methodus ordinandi adpellari solet. Est autem similitudo nihil aliud, quam rerum, sub certa determinatione spectatarum, convenientia, uti dissimilitudo, rerum sub certa determinatione spectatarum, diversitas (s). Hæc determinatio, sub qua res considerari possunt, normam præbet, secundum quam rerum differentia dijudicatur, quæque vulgo fundamentum distinctionis vocant. Quum autem una res eademque sub multivario stationis puncto spectari potuerit, quibus totidem similitudines & dissimilitudines deprehendimus, multas dari unius ejusdemque rei differentias, simul consequitur. Non autem idem est, an hæc ex rerum analogia argumentatio secundum has vel alias determinationes instituatur (t). Hinc inter omnes rei conditiones, sub quibus spectari potest, illa seligenda erit, ex cujus nexu fertilissimam ad incognita ducere possumus conclusionem.

§. 26.

(s) v. HOLLMANN l. c. § 252.

(t) „ Argumentatio a simili, si debite non instituatur, cæ„ teris omnibus fallaciores deducit conclusiones. " BAGLIVI.

„ Circumspecta postulatur ex similitudine morborum „ argumentatio. " KLOEKHOFF.

§. 26.

Possunt autem res præcipue duplici ratione considerari. Respicimus nempe vel ad rerum attributa externa, vel ad earundem naturam internam. Ergo duplex datur fundamentum distinctionis rerum similitudinis, quorum alterum ex rerum natura, alterum ex earundem attributis externis desumtum est. Hinc duplex ordinandi methodus exstat, quarum illa *essentialis* vel *naturalis*, hæc autem *artificialis* auditur. Est ergo methodus ordinandi naturalis æquatio similitudinum rerum secundum earundem naturam. Methodus autem artificialis illa erit rerum similitudinis comparatio, quæ secundum differentiam attributorum externorum earundem instituitur.

§. 27.

Quum essentia rei, sensu positivo spectata, unica tantum sit, unicam tantum existere methodum ordinandi naturalem, constat. Quum e contrario multivaria sit rerum externa conditio, plures etiam confici posse ordines re-

rum artificiales, simul apertum est. Quando ergo, in morbis ordinandis, regula, secundum quam similitudinum comparatio æstimari debet, ex morborum phænomenis desumitur, plures etiam methodi artificiales existere poterunt. Sic regula comparationis a morborum origine, sede, gradu, eventu &c. desumi potest (u), at nimis ambiguum & a foro meo longe distans foret, si omnes has rationes, quibus pro earundem diversitate, varia systemata sunt superstructa, recensere vellem. Sufficit mihi, paucis hic monere, quod hac methodo scientia haudquaquam promoveatur, nisi incommoda, quæ inde redundant, morborum cognitionem impediant. Et quidem in causa hæc sunt. In methodo artificiali sæpe morbi, natura diversissimi, conjunguntur. Quum enim tantum ad phænomenorum morbi similitudinem respiciatur, hæc autem sæpe sæpius unam eandemque præ se ferant faciem, quamvis ex longe diversa causa emanant (v), facile hujus asserti veritas constare potest, atque cuique patebit, qui multivarias, unius ejusdem-

(u) Hoffmann Opp. Ed. Genev. T. I. P. 2. C. 6. Gaub. l. c. §. 841. seq. de Haen Thes. febr. divis. sist.
(v) §. 20. 21.

quæ morbi, caufas materiales perpenderit; hinc, exempla huc allegare, fere fuperfluum fore, exiftimo. Sic enim per fatis longum temporis fpatium, pleuroperipneumoniæ unam tantum exiftere fpeciem, practici crediderunt, atque in omnibus individuis eandem medendi methodum commendarunt, quamvis pro varia aeris & corporis conftitutione (*x*) longe diverfæ fit indolis, diverfamque medelæ rationem poftulet. Idem de omnibus reliquis febribus valere, ex eruditis neotericorum fpeciminibus lucide adparet. Nec minus, inverfa ratione, morbi, natura congeneres, hac methodo disjunguntur, quoniam varia phænomena ab una eademque caufa materiali pendent (*y*). Sic colicæ & dyfenteriæ biliofæ abfque pulfu celeri & calore præternaturali exiftunt, quæ omni jure omnique habita ratione, pulfu celeri atque calore febrili exceptis, febrium biliofarum numero accenfendæ funt, quibus autem diftinctionis fundamentum longe alium

(*x*) „ In plurimis," ait HUXHAM, morbis epidemicis, fpeciatim variolis, morbillis, febre fcarlatina, cæterifque „ fieri poteft, ut morbus generalis infigniter per ægrotorum particularem mutetur conftitutionem." *Opp. Ed.* REICH. T. 3. p. 117.

(*y*) l. c.

attribuit locum. Sic rheumatiſmus in juncturis ad arthritidis genus relegatur, quamvis nonnunquam inflammatoriæ indolis eſſe, occurrat, eaque ex ratione ad rheumatiſmum inflammatorium remittendus ſit. Quanta inde in dogmatica medicinæ parte idearum vacillitas atque rerum confuſio oriatur, cuique artis tyroni patet, qui methodum pervolvit, quam *Sauvages* adoptavit. Nullo enim ſtabili nexu juncta eſt theoria, quæ, per totum ſyſtema inordinate diſperſa, innumeris repetitionibus, tyronis laborem nimis gravem reddit, neque philoſophicam notionum ſeriem admittit. Idem corporum naturalium ſcrutatoribus innoteſcere debet, qui ſyſtemata, ſola corporum facie externa ſuperſtructa, in corporum indagatione adhibent. Ingens porro numerus generum morborum, qui, ex ſymptomatum ſimilitudine, nulla cauſæ indoliſvè morbi habita ratione, conficitur, nullius in arte emolumenti eſſe poteſt. Copia enim febrium, priſcorum monimentis nobis mandata, id claro ſimul autem triſti probat argumento, quanta fiat ordinis rerum perturbatio, in diſpeſcendis morbis, abſque ad eorundem naturam ſtabilem habito reſpectu. Febres aſſodes, lyngodes, helodes &c.

tantum nominandæ sunt, & nemo, harum febrium rationem attendens, probationem negabit. Variam tandem hinc inde litigandi materiem nasci, causus seu febris ardens testari potest. Hæc, quæ & cujus sit naturæ, medici valde dissentiunt. *Boerhavius* illam pro summo sanguinis statu inflammatorio (x), *Juncherus* aliique pro summo febris biliosæ gradu tradunt (y), & *Ellerus* adhuc aliud quid sub illa intellexisse videtur (z), & quisque, quod mirandum videtur, priscorum testimoniis sententiam suam probare potest. Facile autem ex ipsis veteribus perspiciendum est, illos, omnes febres, in quarum decursu æstus ac sitis majori consueto more gradu deprehenduntur, ardentes vocasse (a). Quam multis vero aliasque inter se diversissimis febribus hæcce phænomena conveniunt! Et quomodo aliter fieri potest, quam ut utriusque opinionis valor vetustatis sigillo confirmari possit. Ex omnibus his satis constare arbitror, omnes divisiones,

(x) *Aphorism. de cognosc. & cur. morb.* §. 738. seq.

(y) Ill TISSOT *Opp. Ed. Ill. Bald.* T. I. p. 15.
VOGEL *de cognosc. & cur. C. H. adfect.* p. 51. & 56.

(z) *Obs. de cogn. & cur. morb.* p. 69.

(a) FOREST. *Opp.* L. 2. Obs. 16. *Schol.* BELLIN. *de Urin. & puls.* Ed. Lugd. 1717. p. 248, 254.
VOGEL l. c. p. 52.

phænomenis externis, absque ad morbi naturam habita ratione, superstructas, nulla utilitate esse. Neque desunt medici magni nominis, qui harum divisionum damna perspexerunt (*b*). Quærenda ergo est altera methodus, quæ omnibus his difficultatibus minus obnoxia sit.

(*b*) Variis titulis unus idemque morbus insigniri solet, „ ubi „ tamen eadem est morbi causa, indicationes etiam eædem, atque eadem symptomata, solo gradu distincta. „ Ita multo etiam frequentius plurimos variantes morbos, „ (qui cum a diversis causis originem suam ducunt, ita „ admodum diversis symptomatis stipati, æque diversas „ indicationes subministrant methodumque curandi æque „ differentem requirunt) sub uno generali titulo comprehensos, atque uni eidemque methodo accommodatos passim reperimus. Atque inde fit, quod nulla alia „ ars præter medicinalem adeo longo usu atque experientia indigeat. &c." MORTON *Præf. ad Phthisiologiam*. „ Inter præcipua artis nostræ desiderata illud merito reponimus, ut singuli quique morbi in tot species subdistinguantur, quot sunt morbi primarii, a quibus foventur, aut causæ vehementes, constantesque, a quibus „ producuntur. Contra medici morbos nonnullos, qui „ in tot species distingui deberent, quot sunt principales „ morbi aut causæ vehementes a quibus foventur, quia „ in nonnullis symptomatis sibi similes videntur, sub uno „ generali titulo comprehendunt, eademque medendi methodo in singulis utuntur, cum revera & indole diversi „ ab invicem sint, diversam medendi methodum exposcant singuli." BAGLIVI *Prax. med.* L. 2. C. 9. III. TISSOT ita de magno febrium catalogo dolet: „ Variis "

§. 28.

Quando ordinandi rationes ex ipsa morborum naturæ similitudine desumuntur, omnia hæc evitari posse, cuique facillime patebit. Causæ enim materiales tantam varietatem non observant, quam in phænomenis deprehendimus, & quamvis morborum causas materiales haudquaquam omnes cognoscamus, tamen ex una eademque, varios eosque satis distinctos effectus oriri, supra evictum datum est (c).

ait, „nominibus sæpe eundem morbum indicaverunt, alias & plerumque ex symptomatibus, neglecta causa, „nomenclaturam deducentes tot finxerunt nomina, quot „paulo graviora symptomata in febrili praxi occurrebant." l. c. p. 14. Cl. *van den Bosch* sequentia habet: „Magnum pathologiæ adfertur detrimentum ex nonnullorum medicorum cacoethe, qua audito uno alterove cardinali, ut ita dicam, symptomate, statim & „præmature nimis, nomina morbis imponant, totamque nomini superstruant indicationem. Veri medici „est, ad morbi adæquatam comparandi ideam, ex phænomenis omnibus ad causam ratiocinari, neque quærere nomen tantum morbi, sed quid causam expediat." *Histor. Const. epid. vermin.* p. 7. Conferri quoque ea merentur, quæ apud SYDENHAM in *præfat. ad Opp.* leguntur, nec minus ea, quæ HOFFMANNUS hac de re disseruit in *Opp. cit.* T. I. p. 148. §. 7. *Scholion.*

(c) §. 21. 22. 27.

Hinc utile in arte compendium ponitur, quoniam pauciores exiſtunt cauſarum materialium claſſes, quam phænomenorum. Eſt porro hæc methodus illa, ex qua ſimul curationis ratio patet, id quod auctores tanto deſiderio optarunt atque poſtularunt (*d*). Dum enim morbi cujuſdam determinationem ſyſtematicam vel hiſtoricam ſecundum hanc differentiam eruimus, ſimul ad ejuſdem cauſam materialem, hinc ad naturam, indeque ad indicationes curativas ducimur. Summo ergo ſtudio hæc morborum differentia eruenda atque pro methodi ordinandi fundamento ponenda eſt.

§. 29.

Quum autem morborum natura abdita ſit, neque ſenſibus externis pateat, ex phænome-

(*d*) „Methodus morbos ordinandi ita comparata eſſe debet, „ut non in nominibus duntaxat morborum inveniendis „ſeſe utilem preſtet, ſed præcipue facilem ad eruendas „curationes viam expediat." GAUB. l. c. §. 840. Conf. etiam auctores modo allegatos. HEBENSTREIT, qui omnium primus, ad talem methodum reſpexit, illam ita deſcribit: „Uſus hujus methodi eſt, indicationis alicujus „communis, quæ multis ægritudinibus, titulo diſpare „utentibus, reſpondeat, inventio." *Progr. de methodo morbos ordinante. Spec. prim.* p. 14.

nis ab ea emanantibus ad illam concludi debet; & quamvis ex ſymptomatibus, per ſe ſpectatis, nullomodo vera norma pro methodo naturali ſtrui poſſit (e), tamen ſymptomatum ſimilitudo catenus pro norma comparationis aſſumi poteſt, quatenus naturam morbi indicant. Hæc vero phænomena rite determinare, rex maxime eſt ardua atque difficilis. Undenam? Nonne quæque conditio morboſa, ſub certis atque determinatis circumſtantiis poſita, certa ſua ſibique propria habet ſymptomata? Annon juſta obſervatione illa determinari poſſunt? Quo certius prius, eo majoribus poſterius obnoxium eſt difficultatibus. Complicatiſſimus virium machinæ noſtræ conſenſus, indeque varia directio ac modificatio effectuum unius ejuſdemque cauſæ materialis, exigua noſtra cognitio reliquarum circumſtantiarum, ſub quibus, poſita cauſa materiali, hæc vel illa ejuſdem effectus modificatio evenire debet, frequens cauſarum plurium concurſus, magna opinionum de natura cauſarum cohors, præjudiciis ac hypotheſibus erroneis ſuperſtructa, omnia hæc & adhuc plura, quæ jam *Baglivi*

(e) §. 28.

monuit (*f*), quæque nostris temporibus tanta elegantia ab Ill. *Zimmermanno* exposita sunt (*g*), hanc determinationem fere ad problemata altioris indaginis relegant.

§. 30.

Quamvis autem hæc fere insuperabilia impedimenta absolutam morborum naturæ indagationem valde onerent, tamen via sternenda est, qua ad morborum naturæ similitudinem relativam detegendam pervenire queamus. Videamus igitur, annon detur filum ariadneum, cujus ope ex hoc labyrintho nos extricare possemus. Ex phænomenis morbosis, id est, ex symptomatibus ad causas concludendum esse, supra datum est (*h*), nec alio modo hoc fieri posse, nemo nescit. Absolute autem atque sine alio habito respectu ex phænomenis morbi ad ejusdem causam concludere, ita sonat, ac si quis ex sola plantæ cujusdam incognitæ partium inspectione ac descriptione, citra ullam aliam rationem, vires ac indolem plantæ

(*f*) v. *Opp.* L. I. p. 8. seq. & L. 2. p. 166. seq.
(*g*) *Von der Erfahrung* B. 3. C. 2.
(*h*) §. præc.

vellet divinare, ad quod perficiendum multa adhuc alia auxilia concurrunt. Sic etiam in morbi causa indaganda, præter symptomata, alia attendenda sunt, ex quibus indolem causæ dijudicare possumus. Videamus quænam sunt auxilia, quæ nos in praxi ad causæ cognitionem perducere possunt.

§. 31.

Ex causis antecedentibus tam externis quam internis nonnunquam conclusio ad causam materialem duci potest. Sic ex intima conversatione prægressa cum homine, labe venerea inquinato, ad contagium venereum in sequenti morbo concludi potest. Sic in febri quadam acuta ex cholerica corporis constitutione, ex animi adfectubus prægressis, ad bilis cooperationem conclusio formari potest. Sic febris in constitutione robusta, ex refrigerio contracta, non facile nervosæ febris indolem servabit. Quum autem plurima harum causarum pars, varios, pro varia corporis conditione, edat effectus, atque sæpe etiam lateant, ita ut ne vestigium quidem de iis detegamus, ex iis solum absque alia relatione ad

causæ materialis conditionem concludi nequit; quamvis omnino negligi non debent.

§. 32.

Nec cadaverum sectiones certum quid de morbi natura exponunt. Causæ enim quodammodo effectus, rarissime vero ipsius naturam ostendunt, atque nil vel parum ad medelam spectans docent, dum externa cadaveris partium facies sæpius in diversissimis morbis una est eademque, neque simplex adspectus ad morbi naturam conclusionem admittit. Omnino quidem locum inter auxilia tenent, quibus ad causas formales quasdam pervenire possumus, sed ad causas materiales detegendas non semper sufficiunt. Aliud ergo adhuc medium investigandum erit, cujus ope ex phænomenis, naturalis morborum differentia dijudicari queat, vel quod saltim in sodalitio reliquorum instrumentorum aptiorem hanc viam reddat, atque conclusionibus, ex reliquis præmissis deductis, majus superaddere valeat pondus.

§. 33.

In omni humana cognitione res ex varia inter se relatione dijudicantur, nec alio modo cognosci possunt. Sic in proprietatibus corporum indagandis hæc corpora cum aliis combinamus, ut exinde varia eorundem phænomena atque effectus colligere, atque ex his ad corporum naturam concludere possimus. Sic etiam morborum natura ex eorundem ad remedia & medicamenta, quæ ad eos tollendos adhibemus, relationibus dijudicanda erit (i). Hac ratione ex methodo medendi antiphlogistica, in quibusdam febribus adhibenda, con-

(i) Ita in morborum naturæ investigatione agendum esse, *Pitcairn* jam monuit, atque verba ejusdem hic in medium proferre liceat: „Manifestum est" ait, „nos nihil „ aliud in rebus cognoscere, quam earum ad alias rela„ tionem legesque & proprietates virium, quibus eas „ mutare vel ab iis mutari solent. — Causa vero phy„ sica & tantopere a philosophis quæsita rerum natura est „ illud in rebus ignotum, a quo vires emanare volunt. „ Illud autem cum sciri non posset, nisi prius agniris „ viribus harumque legibus inventis, neque quidquam „ præstet nisi per vires, sequitur viribus ignotis notitiam „ illius esse nullam, adeoque medicis incumbit, ut vires „ medicamentorum & morborum, quæ per operationes „ possunt inveniri, expendant & ad leges revocent." *Opusc. Roterod.* 1714. p. 3. seq.

clusio duci potest, peculiarem humorum tenacitatem adesse. Vel saltim ex convenientia hujus methodi in morbi specie incognita ad eam febris indolem concludere possumus, quæ nobis sub febris inflammatoriæ denominatione constat. Quamvis ergo non semper ad morbi naturam absolutam hac ratione argumentandum sit, tamen analogiam morborum inde dijudicari posse, omnibus physicæ legibus congruit. Concurrunt quidem adhuc alia auxilia, jam supra memorata (*k*), quorum omnium tamen ipsa observatio practica, de morborum versus medicamenta relatione, certiorem ad eorundem naturæ indagationem munit viam. Ut ergo in chymia corporum mixtionem ex varia eorundem ad alia relatione cognoscimus, sic ad morborum indolis cognitionem ipsius medelæ ope perducimur; & sicut systema mineralogicum naturale absque corporum examine chemico condi nequit, ita morborum systema naturale, sine experientia practica, qua probe instituta, tum demum ad argumentationem ex analogia ducimur, nullum est.

(*k*) §. 31. 32.

§. 34.

Quando itaque medendi ratio normam præbet, ſecundum quam ſimilitudinem morborum æſtimamus, ſequitur, ex medelæ analogia ad morborum analogiam concludendum eſſe, atque tot diverſa tunc dari genera, quot diverſas curationis methodos. Ut autem curationis officium in plures ramos diviſum eſt, ſic & pro hac ratione plures morborum ſubdiviſiones confici debent. Tractaminis hinc morbi ſimilitudo, quod generaliter, ad cauſam materialem tollendam, proſequitur, genera morborum determinat. Et quum pro vario, quem occupat, loco, vario quoque modo hæc cauſæ materialis ablatio perfici debeat, etiam ex hac curationis differentia alia morborum ſubdiviſio ſtatuenda eſt, & ad hanc morborum ſpecies pertinebunt. Et ſic illud, quod generibus in curatione univerſaliter competit, ordines, eademque ratione claſſes conſtituit. Eſt ergo claſſis, illius medelæ ſimilitudo, quæ ordinibus generatim convenit. Ordo ſimilitudinem illius medicandi modi ſiſtit, quo generum curatio univerſaliter perficienda eſt. Genus porro

ſimilitudines illius curandi methodi continet, ſecundum quam ſpecies tolluntur. Et ſic ſpecies tandem ex æquatione ſimilitudinum individuis medendi rationis oriuntur.

§. 35.

Hæc argumentandi ratio jam a priſcis medicis intenta atque exculta fuit, *Celſo* (*l*) atque *Ammanno* (*m*) referentibus, & ſane inter omnes mæandros ſimpliciſſimam exhibet viam, quæ, ſi caute ac debite illam ſequamur, ad veritatis templum ducit. Sic etiam neotericorum nonnulli ad hanc morborum differentiam reſpexerunt, inter quos præcipue *Morton* (*n*), *Heben-*

(*l*) Empiricorum medicinam recenſens, illos ab iis ſumſiſſe præſidium, „ quæ experientia in ipſis curationibus docuerit," ait l. c. p. 8. Pauloque infra addit: illos, ignoto mali genere incidente, protinus inveſtigaſſe „ cui morbo „ id proximum ſit, remediaque tentaſſe ſimilia illis, quæ „ vicino malo ſæpe ſuccurrerint." l. c. p. 10.

(*m*) „ Methodici " ait, „ dicebantur a methodo, qua morbos in ſumma genera diſtribuebant, ad id inducti per „ analogias, quas morbi eoſque curandi modi ad ſe invicem habere ipſis ex aſſiduis obſervationibus videbantur." v. Præf. ejuſd ad *Cæl. Aurel.* p. 10.

(*n*) „ Ratio " inquit, „ differentis morborum nomenclaturæ „ rite petenda eſt, a differenti eorum cauſa, ſymptomatis & indicationibus curativis differentibus." v. ejuſdem *Pyretol. de febr. inſt.* C. v. §. 2.

Hebenstreit (*o*), *Mangold*, (*p*) & *Drummond* (*q*) nominandi sunt. Attamen specimina, quæ hoc habito respectu exhibuerunt, non omni ex parte notionibus nostris congruere, videntur, cujus ratio tum in ipsa curationum differentia, tum in mediorum diversa adplicatione minusque æquo concludendi modo quærenda est. Ulterius ergo disquirendum est, quonam modo hæc ex curationis analogia argumentatio deducta institui debeat, undeque characteres ad tale systema struendum petendi sint.

§. 36.

Constat ex iis, quæ supra proposui, in morborum doctrina omnia ita definienda esse, ut sensibus nostris externis percipi possint (*r*), neque vere de morbi natura aliquid judicare possumus, nisi ex phænomenis (*s*). Hinc etiam in methodo nostra determinationes, quibus

(*o*) Eleganter non minus quam recte hanc ordinandi rationem proposuit in programmatibus quibusdam, *de methodo morbos ordinante* inscriptis, vel *Ordo morborum causalis*.

(*p*) v. *Opusc.* ab Ill. *Balding.* edita.

(*q*) *Medical Essays and Observ. by a society in Edinburgh.* T. I. Art. 25.

(*r*) §. 4.

(*s*) §. 29.

differentia naturalis indicatur, sensibus externis conspicuas esse debere, simul consequitur. Alias enim jure meritoque opprobria illa, quæ *Sauvages* iis infert, qui methodum causalem seu ætiologicam adoptant (*t*), nos tangere possent. Ex symptomatibus ergo characteres morborum sumendi sunt. Quum autem jam supra evictum datum fuerit, indiscriminatim ex symptomatibus nil ad naturam morbi concludi posse (*u*), non idem esse, quænam symptomata, ad characteres constituendos adhibentur, satis manifeste adparet. Symptomata hinc ea tantum ratione pro characteribus sumenda sunt, quatenus morbi naturam ea indicare, ex practica observatione nobis constat. Neque hoc, factis indubitatis positis, difficultatibus premitur, nisi ab experientia vere fundata discedamus.

§. 37.

Quum nempe hæc naturalis morborum differentia ex medendi rationis diversitate judicari debeat (*v*), ea phænomena, ad charac-

(*t*) l. c. T. I. p. 34. §. 64. seq.
(*u*) §. 27 30.
(*v*) §. 34. 35.

teres constituendos, determinanda sunt, ex quibus, secundum experientiam optimorum artis peritorum, cognoscitur quænam medelæ methodus instituenda sit. Hæc autem phænomena indicantium nomine omnibus veniunt. Præbent ergo indicantia characteres ad morbos determinandos atque ordinandos, ac gaudebit hoc systema requisito illo, quod supra postulatum fuerit, quod nempe, dum morbi nomen, seu, quod idem est, determinationem systematicam eruimus, simul medelæ nobis aperiat viam (x).

§. 38.

Similitudo ergo *indicantium* morborum divisiones constituit, atque cum hæc methodus non certis quibusdam phænomenis, distributionis fundamento inservientibus, superstructa sit, nisi certam eandemque semper morbi indolem declarent, id quod ex indicantis voce cuique patebit, nunquam in tali systemate morbus quidam, distinctionis nostræ fundamenti ratione, nunc ad hoc nunc ad illud genus referri potest, sed morbi sunt natura-

(x) §. 29.

les, a se invicem satis distincti, ita ut, simul sumtis omnibus eorundem signis, nunquam detur alia morborum species, quæ omnibus iisdemque signis sit prædita, & tamen natura sua & curatione distincta. Hinc repetitiones, & confusiones, quæ in reliquis systematibus vix evitari possunt, hic locum non habent, quum proxime a rerum natura absimus.

§. 39.

Supra jam aliqua de dispositione in methodo naturali stabilienda monui (y), atque secundum ea ulterioris dispositionis ratio facillime judicari potest. Similitudo nempe indicantium, quæ causam materialem quandam manifestant, vel saltim, hac ignota, certam eamque experientia fideli comprobatam medendi methodum, ad morbi causam materialem auferendam, indigitant, genera morborum constituet, & sic ex quorundam universaliorum indicantium convenientia, ordines & classes confici poterunt. Species autem pro diversa phænomenorum facie externa determinari debent, cujus ratio ex iis, quæ de causæ mate-

(y) §. 34.

rialis & formalis conditione ac diversitate supra retuli, constare potest (z).

§. 40.

Ex omnibus his manifestum est, methodum ita comparatam omnia complecti, quæ unquam auctores postularunt, quæque debite postulari possunt. Cumque porro phænomena morbosa ita ordinentur, ut medendi ratio, hinc causa materialis, & ita simul natura morbi inde constet, jure meritoque systemati nostro naturalis methodi nomen tribui poterit.

§. 41.

Jam autem difficultates omnes nondum sublatæ sunt. Fundamenta quidem ad systema naturale condendum absque periculo delineavimus, ipsum autem ædificium nondum structum est. Et hic denuo se offerunt obstacula & quidem non levis momenti, quæstionem tangentia, ex quibus nempe auctoribus (quippe qui omnes veræ fidelisque experientiæ practicæ gloriam præ se ferunt) hæc indicantia

(z) §. 28. seq.

ſumenda atque determinanda ſint. Et ſane hic maxima illa latet difficultas, qua certe factum fuit, ut methodus noſtra hucuſque piis, ni fallor, deſideriis adnumerata fuerit. Singuli ſiquidem hominis experientia non ſufficit, hinc obſervatores ex omni ævo in auxilium vocari debent. Semiologia ergo, ab omnibus practicis exculta, materialia ad ſyſtema morborum naturale ſtruendum, nobis præbere debet. An hæc autem ita comparata eſt, ut id præſtare valeat? Nonne ex perperam intellecto ſemiologiæ ſcopo hæc plerumque tantum ad meram prognoſin, neglectis cauſis tendat? Magna tandem proh dolor! opinionum & doctrinarum diverſitas etiam in morbis curandis funeſtum influxum exercuit; & ſane ad vera eaque utilia artis principia nunquam pervenire poterimus, niſi omnem illam doctrinarum & demonſtrationum farraginem relinquamus, quæ in pleriſque medicinæ ſyſtematibus ubique obviam reperitur, ac ad nuda experientiæ, debite inſtitutæ, facta revertamus. Annon enim altero obſtructiones viſcerum ad medicamenta roborantia, altero ad medicamenta reſolventia adhibenda indicent? Quinam ſint auctores, qui omnia rite pertractarunt,

ita ut semper dextra morbos facie viderint, qui ad omnia morbi phænomena, eorundemque nexum et mutationem, tum solius naturæ ope, tum medicamentorum auxilio productam, attenderunt, & nunquam medicamentum nisi ex vere fundata quadam indicatione adhibuerunt, qui simul liberi ab omni hypothesi verum naturæ & veritatis tramitem secuti sunt? Annon præterea multi exstant morbi, quorum veram medelæ methodum nondum deteximus? Annon ipsa experientia attentissimum medicum quandoque fallere potest? Sane multa adhuc sunt desideranda, antequam ad motas quæstiones in favorem responderi poterit, & tanta in rerum idearumque vacillitate temeritati fere verti potest, si ædes struere velimus, antequam materialia in præsto sint. Nisi interea omnem praxeos certitudinem inficiari contendamus, id quod post tot tantaque dignissimorum virorum per sæcula opera instituta summus scepticismi gradus foret, omnino concedendum est, regulas dari practicas vere fundatas, & adhuc ex observationibus prostantibus educi posse, quæ ulterius lucem in morborum differentiis naturalibus ordinandis diffundere valent. Confugiendum ergo est ad illos artis

exercitatores, qui maximam veritatis habent fidem, & ex iis signa eruenda sunt, quæ in quolibet morbo illam morbosam conditionem manifestant, ad quam in curatione medicus attendere debet, quique simul optimam naturæ morborum accommodatam atque multiplici experientia verorum medicorum comprobatam iis medendi methodum docuerunt; et quamvis prima pericula infantilem ætatem hujus medicæ scientiæ partis sat manifestabunt, tamen via aperienda est, ut posteri eo frequentius illam sequantur, & ita magis magisque morborum cognitio perfectior reddi possit. „ Sic enim se habet mentis humanæ conditio, „ ut omnes nunquam superabit difficultates: „ certissime tamen constat, quod æqua sollicitaque morborum consideratio eas multo „ pauciores reddet " (*a*).

§. 42.

Quodsi nunc attendimus, quidnam sub indicantis voce intelligatur, facile adparebit,

(*a*) GRAINGER *Hist. febr. anomal. Batav.* Altenburg. 1770. p. 58.

definitiones ad genera hæc naturalia insignienda, locum habere nullo modo posse. Genus enim signa causæ materialis omnium specierum tradere debet, hinc pro hac etiam causarum formalium varietate signa ejusdem variant. Sic etiam pro utilitate præstat, ut morbi indolem jam cognoscamus, antequam illa phænomena erumpant, quæ morbi speciem declarant. Quum tandem ex toto corporis & aeris constitutionis ambitu, causarum antecedentium concursu & vario inter se symptomatum & causarum respectu (*b*), signa eruenda sint, ad morbum, naturæ suæ ratione, ab omnibus aliis eadem ratione distinguendum, potest non aliter fieri, quam ut multa practicus attendat, quæ nec satis habent perspicuitatem, vel saltim sub certis tantum circumstantiis, quæ non semper ut constanter naturam morbi concomitantia deprehenduntur, respectu ac relatione cæterorum, pro talibus judicanda sunt, quæ hanc vel illam morbi indolem maifestant (*c*). Quæ omnia, definitio-

(*b*) Sic v. c. ex symptomatum febrilium inter se atque cum causis manifestis disproportione ad nervosam febris indolem concluditur.

(*c*) Sic enim in morbis inflammatoriis pulsus non semper

nes, usquedum saltim prohibent (*d*), nec veteres eadem ex ratione illis usi sunt (*e*). Genus ergo continere debet relationem & descriptionem omnium eorum, quæ ad causam materialem faciunt, sint vel functiones læsæ, vel conspicuarum corporis partium conditiones, tum prægressæ, tum adhuc præsentes, vel causarum externarum constitutiones, vel tandem relationes illæ, quas tum phænomena inter se, tum hæc versus causas prægressas, tum omnes ratione naturæ morbi mutuo inter se edunt atque observant. Aliter in ordinibus & reliquis divisionibus hoc se habet, ubi pro lubitu aliquid, quod omnibus generibus, ratione causæ materialis differentiæ, simul competit, seligere atque determinare queamus.

durus ac plenus occurrit, siquidem in peripneumonia mollis, in ventriculi & intestinorum inflammatione haud raro parvus deprehenditur. Sic in iisdem morbis inflammatoriis crusta sanguinis inflammatoria non semper adparet, quamvis morbus veram indolem inflammatoriam præ se ferat. Sic in febribus quibusdam nulla bilis atque humorum gastricorum corruptionis signa manifesta sunt, ubi tamen maxima causæ materialis pars in ea quærenda est. In his casibus ergo ex reliquis circumstantiis natura morbi dijudicanda est.

(*d*) Cf. HELVETIUS *de l'Oeconomie animale &c.* p. 21. seq.
(*e*) v. AMMAN. l. c.

De ſpeciebus autem, quas pro diverſa partium ſingularium affectione, ab eadem cauſa materiali pendente, determinandas eſſe, ſupra jam monui (f), idem valet, quod de genere dictum fuit; hinc nec iis, in methodo, quæ praxi accommodari debet, definitiones competunt, quamvis in noſologia generali omnino in uſum tironum rite definiri debeant.

§. 43.

Hæc ſunt, quæ generatim de methodo morbos ordinandi naturali monere volui. Magnum omnino mihi propoſui ſcopum, quem autem prorſus attingere, vanum foret deſiderium. Hac nempe ratione theoriam & praxin magis concatenari, atque opprobrium illud tritum dirimi poſſe, credidi, nullam eſſe hactenus theoriam inter & praxin connexionem, ex qua diſtinctione conſequi perhibetur, quemdam bonum eſſe poſſe theoreticum, ad praxin tamen exercendam ineptum, & e contrario habiles exiſtere artis exercitatores, in theoria haudquaquam verſatos. Hanc differentiam minime firmo talo niti, nec vere eſſentialem

(f) §. 14. 19.

esse, cuique patescere debet. Undenam autem hæc distinctio? Sane ex morborum illis definitionibus, quæ tantum in abstracto ad illos cognoscendos inserviunt, neutiquam vero ante ægrorum lectum adhiberi possunt, ex præconceptis de causis morborum nugis atque ex indicationibus hinc inde perperam derivatis, vel saltim ineptiis illis non respondentibus. (multi enim magni nominis viri longe diverse de morborum quorundam ætiologia differunt, quos tamen uno eodemque modo tollunt) maxima ex parte ortam esse, concedendum est. Et ex hac theoria omnino nil nisi maximum detrimentum arti accrescit. Quando autem theoria ita comparata est, „ ut in diver-„ sis & infinitis casibus, quos praxis exhibet, „ medici gressus dirigat, atque observationum „ penuriam suppleat, ita ut hujus ope muni-„ tus tiro, quotquot species morborum repe-„ rit, possit ex suo systemate non solum apte „ distinguere, sed etiam deductis ex eodem „ fonte indicationibus curare" (g), unumquemque practicum tali theoria imbutum esse debere, nec sine illius subsidio boni quid in arte exercenda præstare posse, neque versa

(g) SAUVAGES l. c. T. I. p. 2.

ratione hac in theoria versatus, in praxi ineptum se præbere posse, nisi alias organis necessariis destitutus sit, quisque lubenter concedet, quamvis omnino ipsa experientia hoc opus facilius atque notiones clariores reddat. Hæc ergo theoria ea est, quam veteres secuti sunt (*h*), quam genuinus artis cultor lubenter amplectit (*i*), & ad quam hodie redeundum est, si nexum theoriam inter & praxin restaurare velimus, quem hypotheses detraxerunt. Fundamenta, quæ hactenus delineavi, ea esse, quibus talis vera eaque inconcussa atque practica theoria imponenda est, persuasissimum habeo, quamvis viribus meis concessum non sit, ipsum finire ædificium. Satis mihi erit, si & hæc pauca, quæ non transitorie, sed post iteratam pensitationem scripsi, ad artis nostræ emendationem aliquid facere valeant, sicque laudes eorum promeruerim, quos divina benevolentia ad corporea conservanda hominum bona nobis misit. Jam ergo de specimine meo, secundum principia hic proposita elaborata, pauca monere liceat.

(*h*) §. 35.

(*i*) „ Eam desideramus theoriam, quæ a praxi felicissima „ sit deducta ad eamque rursus accommodata." FREIND *in præf. ad Emmenolog.*

§. 44.

Implicatissima febrium natura, earundemque sæpius, quoad partem saltim, facies similis, a diversissimis tamen sæpe causis pendens, & versa ratione, ex iisdem causis symptomatum diversa quandoque modificatio, præ aliis earundem distributionem, diagnosin & curationis viam eruendi & facilitandi aptam, exigunt. Post ea autem, quæ supra proposui, monitu non opus esse credo, hanc adhuc in votis esse. Dignum ideo hoc mihi videbatur objectum perscrutatione, & quamvis me momentosi quid præstitisse, atque hanc penuriam aliquo modo supplevisse, nequaquam præ me feram, attamen magna hujus methodi utilitatis satis patebit, & habiliores ac peritiores forsan, ad illam ulterius promovendam, excitabit. Trado, quæ potui. Semper eo saltim studui, ne a filo, ab optimorum medicorum experientia deducto, discederem. Hinc omnia, quæ stabilivi, observationibus atque auctoritate artis peritorum suffulcienda esse, existimavi, ne annorum penuriæ tribuantur, quæ senibus forte quibusdam falsa videntur. Qui obstacula omni passu in re tam ardua sese offerentia re-

cordatur, facile mancum hujus speciminis excusabit. Quodsi aliquando longiori experientia atque lectione animadversiones magis sint ditatæ ac emendatæ, hoc schema forsan ulterius pertractare studebo, nisi alias orbi medico, laborem meum inutilem esse, videatur.

§. 45.

Classis quidem, veluti infra pluribus constabit, in universa naturali methodo admittenda non est. Quum autem temporis atque virium mearum conditio non sit, ut ad universum morborum systema naturale stabiliendum manus admittere potuissem, neque hoc ita facili negotio perfici queat, ex consuetis morborum divisionibus illam classem, quam febrium nomine omnes auctores tractant, selegi, atque hanc secundum ordinem naturalem disponere quæsivi. Quodsi enim singulam classem naturalem pro scopo habuissem, de omnibus febribus tractari non potuissem, (id quod intentioni meæ non respondebat) quoniam hæ per totum methodi naturalis ambitum disperguntur, cujus ratio iis facile constabit, qui attento animo ea perlegunt, quæ de hujus methodi ratione supra retuli. Quod

ad genera attinet, illa a neotericis artis coryphæis maxima jam ex parte ſtabilita atque determinata ſunt. Siſtunt quidem minime morborum univerſaliter ſpectatorum ſed tantum febrium genera naturalia. Quoniam enim claſſis naturalis non eſt, genera etiam ea modo ratione naturalia dici poſſunt, quatenus ſubdiviſiones febris, ſecundum differentiam naturalem ordinatas, conſtituunt. Hinc omnino genera infra poſita non omnes morbos comprehendunt, qui natura cum iis conveniunt, ſed illos tantum morbos complectuntur, qui claſſis deſcriptioni competunt. Quoad ſpecies iterum facile concedo, in earundem diſpoſitione ordinem naturalem adhuc diremtum eſſe. In quo quidem imperfectio conſiſtit, quam evitare nec rerum ſtatus neque exiguæ vires mihi conceſſæ, admiſerunt. Nec credi velim, me certas atque ratione naturæ plane determinatas ſpecies ponere voluiſſe, dum plane nunquam duo morbi individui ejuſdem ſpeciei in omnibus ſunt conſimiles. Ut enim nullibi in rebus naturæ ſaltus deprehenditur, ſic & in morbis inſenſibili gradu continuaque concatenatione differentia progreditur. Cæterum ſupra jam monui, ut ſpecies morborum in methodo

methodo naturali definitionem admittere nequeant, nisi maximam tunc methodus utilitatem amittere debeat. Hinc semper descriptiones plurimorum symptomatum adjunxi, quæ morbi speciem plerumque concomitant vel potius constituunt; & quamvis non omnia hæc symptomata ad morbi speciei determinationem faciunt, tamen in curatione, signis specierum pathognomicis sic dictis nondum manifestis, maximam præstant utilitatem. Completam autem morbi historiam ponere, a foro meo alienum erat, quum ea tantum phænomena, secundum principia supra prolata, pro characteribus stabilire, mens esset, ex quibus indicatio quædam curativa deduci potest, atque hinc omnia ea omisi, quæ ulteriorem ad morbi naturam conclusionem hucusque non admiserunt. Quum porro multa phænomena variis morborum speciebus simul conveniant, atque hæc peculiari nomine insignita sint (id quod inde patet, quoniam sub variis generibus morbos aliàs univocos distribuere, methodi fundamentum exigebat), indeque autem repetitio oriatur, hæc phænomena, quæ morbis synonymis competunt, antea in generali de morbis tractatione, tradenda atque deter-

minanda fuissent. Sic pleuritis illum denotat statum morbosum, qui dolore lateris fixo, punctorio, respiratione brevi & inæquali & symptomatibus febrilibus se manifestat. Hæc autem definitio nondum morbum in concreto, vel, quod idem est, individualem morbi speciem sistit, sed tantum compendii causa in systemate locum habet, atque eo inservit, ut postea in speciebus determinandis repetitio evitetur. Sic itaque omnes voces definire debuissem, ut autem nimiam prolixitatem evitarem, hoc omisi, neque confusionem inde oboriri credo. Neque, omnes species determinare, anxie quæsivi, sed eas tantum allegavi, quarum existentia, auctorum observatione, mihi constabat; quumque secundum hanc normam species obvenientes facile digeri queant, nec hujus systematis stamina ex toto absolvere animus fuerit, hic defectus vitio mihi verti haud potest. Nomina fingere nolui, de rerum perennitate nondum convictus. Omnes tandem febres absolute ad constituta genera reducendas esse, adfirmare non contendo, quin potius contrarium habeam persuasissimum, cujus vero differentiæ ulteriorem determinationem tempori ac ingeniis sublimioribus relinquo.

RUDIMENTA
PYRETOLOGIÆ
METHODICÆ

DELINEATIONEM SISTENTIA

ORDINUM, GENERUM ATQUE SPECIERUM FEBRIUM SECUNDUM DIFFERENTIAM EARUNDEM NATURALEM DISPOSITAM.

Rationalis comparatio morborum est judiciosa cognitio & assumptio causarum, quæ utiles sunt ad inveniendas similitudines.

GALENUS.



PYRETOLOGIÆ METHODICÆ RUDIMENTA.

FEBRIS.

MORBUS cum frigore, æſtu & pulſu, naturali nunc frequentiori nunc tardiori, vario gradu atque tempore ſtipatus.

Omnes fere auctores febris definitionem anxie quæſiverunt, & omnes fere, illam ponendo, diſſentiunt. Nunquam autem quiſque febris præſentiam in dubium vocavit, ſi hominem a ſymptomatibus, modo recenſitis, vidit correptum. Unde ergo diſſenſus ille auctorum de febris definitione? Sane hic nil aliud in cauſa eſt, niſi obſervatio illa trita, morbos dari, qui hæc febris ſigna non admittunt, quique tamen ab eadem corporis & aëris conſtitutione, ab eademque cauſa materiali pendent, eundem decurſum, criſin & eventum obſervant;

hinc eandem medendi methodum sibi vindicant. Sic diarrhoeæ, dysenteriæ, choleræ epidemicæ eodem sæpe tempore obviam produnt, quo febres biliosæ grassantur, quæque omni habito respectu, pulsu celeri atque æstu febrili exceptis, cum febribus hisce natura consimiles dignoscuntur. Sic morbi periodici, maxima saltim ex parte, febris naturam conservant, quamvis signis illis destituti sint, quibus febris more consueto sese manifestare solet, id quod *Ill.* MEDICUS (*v. Geschichte period. Krankheiten*) acute non minus quam recte probavit. Quando ergo nulla dubitatio remanet, plures morbos existere, qui natura cum febribus conveniunt, quoad phænomena autem supra data differunt, omnes illas definitiones, quæ signa supra relata vel omnia vel singulatim continent, mancas esse, sequitur; quoniam non omnes morbos comprehendunt, qui ratione naturæ, vel, quod idem est, ratione causæ materialis naturali affinitate inter se conjuncti sunt. Hæc sane fuit ratio, cur auctores semper de insufficientia febris definitionis doluerunt, quamvis ipsam forte rationem non omnes viderint. Nisi ergo morbos illos, qui descriptioni nostræ non respondent, ex febrium catalogo relegare velimus, altera invenienda erit definitio vel saltem descriptio, signa continens, quæ omnibus iis morbis simul competunt, qui natura ad febres nostras accedunt. Sed hic impotentiam fateri non pudet. Quænam sunt signa, quæ febri continenti putridæ, colicæ biliosæ epidemicæ & odontalgiæ periodicæ simul conveniunt, morbi qui omnino quoad naturam febribus adnumerari debent? Quænam inter phænomena febris inflammatoriæ continentis & mali hysterici similitudo, quum tamen hic morbus nervosus cum febribus nervosis ad unum eundemque ordinem natu-

talem referendus sit? Quodsi ergo febris vocabulum latiori sensu sumas, ita ut omnes morbos febribus adnumeres, qui natura cum iis congeneres sunt, omni jure dicere potes, essentialia febrium signa, i. e. phaenomena, quae ex ejusdem natura promanant, omnibusque iis morbis, qui natura cum febribus consimiles sunt, simul competunt, nondum eruta atque determinata esse. Quum autem rei necessitas requirat, ut strictior hujus vocis sensus ponatur, certa quaedam phaenomena determinanda erunt, quibus praesentibus, febrim adesse, adfirmare possimus. Inter haec, signa supra posita, praecipuum tenent locum, quippe quae omnium frequentissime occurrunt, ideoque maximam partem ex eorum morborum numero comprehendunt, qui indolis ratione ad unam classem naturalem redigendi essent. Haec autem phaenomena non semper in eodem morbo insimul adsunt, neque semper mutuo succedunt, nec omni tempore manifeste adparent. Sic v. c. dantur individua, ubi frigus deprehendere non licet, vel saltim obscure tantum per tensionem quandam in dorso vel in regione lumbari se manifestat, atque interdum etiam unum duntaxat alterumve occupat membrum. Sic porro febres absque sensibili aestu occurrunt (*v. de* HAEN *Rat. medend. P. XI. p. 30. & Cl.* GESNERI *Beobacht. aus der Arzeneigel. B. 1. p. 144.*), vel saltim tactui & thermometro sensibilis non est (*de* HAEN *l. c. P. 7. p. 210.*), sed ex aegri tantum sensatione judicari debet, id quod etiam de frigore valet, ubi thermometron calorem naturalem, quin eum superantem, indicat (*v. l. c. P. XI. p. 23.*). Sic tandem febres cum pulsu a naturali parum decedente observare contingit (*v. de* HAEN *l. c. P. 7. p. 210.*). WERLHOFF *disqu. de variol. et anthrac. p. 37. Cl.* SARCO-

NE *Geschichte der Krankheiten zu Neapel. T. 2. p. 94; 99.* SAUVAGES *l. c. T. I. p. 308.*). Et hæc caloris pulsusque conditio præcipue in febribus nervosis, in stadio tertio febris carcerum PRINGLII, eodemque stadio febris biliosæ americanæ HILLARII manifesta est, quam phænomenorum a consueta naturæ norma declinationem optime *Cl.* SARCONE *l. c. T. 2. p. 100* seq. adnotavit. Hinc eadem incommoda, ex febris nostra notione, quæ descriptionibus communia sunt, redundant. Unum tamen alterumve ex his symptomatibus semper adesse oportet, si morbus pro febri haberi debeat. Recte quidem auctores monuerunt, omnia hæc symptomata, singulatim spectata, a levibus & transitaneis causis haud raro oriri, atque hinc vel levissimam sanguinis ebullitionem febrim dicendam esse, vel hæc phænomena minime pro genuinis febrium signis declarari posse. Sed hac ex ratione descriptioni, morbi vocem adposui. Hæc enim aliorum vel plurium jam phænomenorum præternaturalium præsentiæ ideam involvit, quæ præter frigus, calorem morbosum, & pulsum alienatum simul adsunt (*v. Introd. §. 8. de symptomate*). Idem in stabilienda febris notione HELVETIUS fecit. (*v. de l' Œconomie anim. p. 22*). Ubi ergo morbus, quo præter alia phænomena morbosa, unum alterumve symptomatum supra positorum adparet, quod nempe cum cæteris phænomenis præternaturalibus ita cohæret, ut omnia ab una eademque causa pendere videantur, ibi febrim adesse adfirmare poteris. Hoc ultimum requisitum, quod nempe ad connexionem phænomenorum inter se respicere debeamus, omnimodo necesse est; etenim aliàs altera difficultas occurreret. Sic v. c. hydropico ex animi adfectu, ex errore diætæ vel ex alia causa pulsus consueto celerior nasci potest, qui

tamen febrim haud indicat, dum nec permanens eſt, neque nexu quodam cum reliquis ſymptomatibus hydropis junctus eſt.

Ex omnibus his propoſitis apertum eſt, nullo reſpectu veram febris definitionem philoſophicam dari poſſe, niſi plures morbos apud omnes auctores ſub febrium nomine cognitos ex febrium catalago relegare velimus. Jam enim ex ſupra adducta ratione conſtat, quoque ex noſtræ deſcriptionis culpa multos morbos a febribus ſejungendos eſſe, qui tamen naturæ habita ratione iis aſſimilari deberentur. Quodſi nunc unum tantum ex ſymptomatibus ſupra determinatis pro febris ſigno characteriſtico ſufficiente ponere vellemus, maxima pars morborum, qui auctoribus febrium nomine venit, ad alias claſſes referenda eſſet, id quod intento meo non congruit. Hinc deſcriptionem ſubſtituere oportet, ut ſaltim ſtabilem quodammodo febris notionem ponere poſſimus, neque tamen a loquendi docendique uſu nimis abhorreamus. Generatim omnes morbos hic recenſebo, quibus unum vel alterum vel omnia phænomena ſupra poſita ſimul, adſunt; nec differentiam curo, quæ inde poni poteſt, quod hæc phænomena vel ſtatim ab initio adpareant, vel ex ſympathetica coactione aliorum ſymptomatum producantur. Sufficit, quod omnia hæc phænomena facie diverſa, eodem cauſæ materialis vinculo conjungantur. Id autem ex omnibus hucuſque prolatis aperte ſequitur, hanc morborum claſſem minime pro naturali habendam eſſe, quoniam non omnes morbos ſimul comprehendit, qui natura inter ſe conveniunt. Aſt tamen videamus, annon illorum morborum, qui deſcriptioni noſtræ competunt, naturam inveſtigare queamus.

Febris naturam nunc in calore, vel in pulſus cele-

ritate, nunc in spasmo cordis, tandemque in aucto sanguinis circulo positam fuisse, cuivis constabit. Omnes autem has notiones sensum modo relativum naturae spectare, supra evicimus (*v. de morb. natur. sect.*), atque pro varia febris definitione, variam quoque hujus essentiae ideam esse, eadem ex ratione constat. Quod autem ad absolutam febris naturam attinet, quae quidem sub omnibus febrim considerandi & denominandi modis ei semper tanquam primum fundamentum, ex quo omnia phaenomena consequuntur, competit, de ea auctores non conveniunt, nec ego has tenebras penetrare audeo. Id quidem ex essentiae vel naturae notione supra stabilita (*Introd.* §. *14.*) patet, illud, quod febris naturam constituit, in peculiari solidorum vel fluidorum vel utriusque vitio latere. Sed propius hoc determinare, satis difficile est. BELLINUS (*l. de febr. p. 272*) omnem febrim vitium in sanguine supponere, adfirmat, atque haec sententia proxime forte a veritate abest. Quamvis enim saepe saepius sanguis manifeste vitiatus absque ulla febri deprehendatur, tamen causam febris materialem in sanguine contentam esse, ex phaenomenorum, curationis & crisium ratione maxima gaudet probabilitate. Verosimilitudine quidem haud caret, omnes eas humorum depravationes, quae in summo febris gradu obviam prodeunt, saepe potius ad ipsius febris effectus pertinere. Attamen certa humorum dispositio jam adesse debet, quae febris actione illas modificationes subeat, quae postea se manifestant. In quovis morbi decursu varia phaenomena occurrunt, quae ab omnibus pro morbis essentialibus habentur, quamvis non statim in initio, sed in vigore tantum morbi adpareant, indéque morbi effectus speciem prae se ferunt. Causa formalis autem, qua demum accedente, febris phaenome-

na producuntur, in peculiari nervosi systematis conditione vel idiosyncrasia forte quærenda est, ex quibus binis causa tunc proxima enascit.

Quod ad curationem generalem attinet, medelæ febrium ratio universalis rite exhiberi nequit, quoniam hæc pro causæ materialis differentia quoque differt, nec symptomata supra data indicantium speciem præ se ferunt, quæ nos ad curationem quandam generalem atque omnibus febribus simul convenientem, duci possent. Neque opinio illa, quæ multis medicis arridet, quod nempe febri peculiares motus spontanei, ad materiem quandam morbosam eliminandam, essentiales sint, qui in curatione singularem medici attentionem postulent, ad methodum febribus medendi universalem quid facere valet. Hæc enim naturæ conamina in multis aliis morbis chronicis deprehendere licet, neque etiam in febribus hanc naturæ virium efficaciam semper observamus, cujus exemplum febris lenta nervosa esse potest. Omnino quidem in omni febre materia ejusdem prius extricanda est, antequam ad ipsos motus febriles compescendos, manus admittamus, sed hæc indicatio in febribus longe diversa ratione absolvitur. Hinc generalis medelæ methodus nulla est, atque iterum ex hac ratione huic morborum classi naturalis prædicatum denegari debet. Quamvis autem febrium classis minime naturalis sit, genera tamen & species ei subsignata in toto ægritudinum systemate naturali omnino persistunt. V. infra Ord. morbor. natural.

ORDO PRIMUS.

CONTINENTES. ΣΥΝΟΧΟΙ GRÆCORUM.

Nulla viciſſitudine exacerbationum & remiſſionum notatæ ſunt, ſed a principio uſque ad finem una veluti acceſſione protenduntur.

Hiſce in febribus ſanguis valde afficitur, ac ejuſdem conditio quam maxime eſt attendenda. Pro omni enim veriſimilitudine continuus fervoris febrilis tenor depravationi ipſius ſanguinis adſcribendus eſt, ita ut eſſentialis harum ab aliis febrium differentia in eo conſiſtat, quod nulla primarum viarum colluvies vitioſa adſit, quæ ita cum febri cohæreat, ut pro materiali cauſa haberi poſſit. Deſunt nempe in his febribus hujus colluviei ſigna conſueta. Quandoque quidem in febris initio aliqua adeſt primarum viarum impuritas, quæ ex cruditatibus collecta eſt, quæ autem haud magnum imperium in febri exercet, neque, expulſa, febrim infringit. Aliquando etiam ſimul cum horrore materies ſordida ex ſanguine ad inteſtina defertur, naturæque ope facile ulterius evacuatur, neque & hoc de colluvie impura primarum viarum tanquam febris cauſa materiali teſtatur. Sic quoque in febrium contagioſarum inſlictu vomitus nonnunquam bilioſus deprehenditur, ubi autem bilis affluxus ab irritatione contagii producitur (*cf.* WINTRINGHAM *Commentar. noſolog. p. 300.*). Haud raro etiam in febribus putridis, ubi ſanguis primarie adfectus fuerit, materies ad primas vias defertur, tunc

autem febris typus muratur, nec continue adfligit (*v.* QUARIN *method. febr. med. p. 40*). Hinc ex omnibus his nihil ad causæ materialis primis in viis præsentiam concludi poteſt. Quodſi porro obſervata illa attendamus, febres ad remiſſiones eo proniores eſſe, quo magis a colluvie impura, in primis viis contenta, pendent; & verſa ratione eo facilius typum continentem obſervare, quo minus primæ viæ viſceraque chylopoietica in culpa ſunt, id quod ex PRINGLII animadverſionibus nobis conſtat (*v. Obſerv. on the diſeaſes of the army Ed. 1765, p. 169.*), iterum in ſolius ſanguinis affectione, præcipuam febris cauſam ponere, facile proni erimus. Hinc etiam varii auctores ea ratione febres diſtinxerunt. LOMMIUS (*Obſerv. med. p. 5.*) ſynochum ex ſanguinis putrefactione, febres remittentes autem ab alterutra bile aut pituita profectas eſſe, adfirmat. FORESTUS febres ſynochos ex ſanguine, ſynechees vero a bile oriri, conſentit (*v. l. 1. Obſ. 14. in ſcholio & paſſim*). Et alio loco, ubi pleuritidem ſanguineam a biliofa diſtinxit (*l. 16. Obſ. 28. ſchol.*), „ febrim in pleuritide ſanguinea eſſe ſimpliciorem & „ nullam habere acceſſionem, ait." Sic etiam SAUVAGES (*noſol. method. T. 2. P. 1. p. 496. ſeq.*) „ peripneumoniam puram eſſe ſynocham, quæ autem a „ ſaburra primarum viarum foveatur, amphimerinam „ vel tritæophiam eſſe" recte adnotavit. Scimus porro, ex optimorum auctorum experientia, quod omnia medicamenta, hiſce in febribus utilitatem præſtantia, præcipue ſanguine concipiantur, qua ex ratione etiam BALLONIUS (*Opp. Ed. Thevart. T. 1. l. 2. Epid. p. 98*) febres in venoſas & gaſtricas diſpeſcit, atque in his purgantia, in illis phlebotomiam ſuadet. Omnibus his tandem præcepta HIPPOCRATIS accedunt, qui pur-

gantia in febribus continentibus sedulo dissuasit, dum ait: „purgantia dare non oportet, donec febris remi-„ serit" (*v. l. de purgant.*), id quod pluribus legendum est apud doctum ejusdem commentatorem Glassium (*v. Comment. de febrib. Amsterd. 1743. p. 101. vel Edit. Ill.* BALDING. *p. 78. seq.*) quocum etiam BAGLIVIUS convenit (*Opp. Ed. Lugd. p. 135. seq.*). Ex omnibus his aperte liquet, quod caus. febrium continentium præcipue in sanguinis vitio quodam quærenda sit. Quod autem ratio sufficiens in solo sanguine non temerè hæreat, supra jam monui (*Schol. ad. febr.*). Requiritur adhuc aliud quid, febrim promovere valens, quod autem nondum cognoscimus, neque in curatione peculiarem medici attentionem mereri videtur. Causa ergo materialis febrium continentium in sanguine vitiato hæret. Patet exinde, cur febris remittens ex colluvie biliosa orta sudoriferis pharmacis tam facile in continentem mutatur; quoniam nempe sordes illas ad vasa resorbentia vehunt, & sanguini admiscunt. Simul etiam adparet, quare tunc morbus sit periculosior, quoniam non solum massa humorum depravata est, sed quoque ob læsam digestionem cibi ac medicamenta auxilium rite præstare nequeunt. Facile quidem, ut opponi possit, perspicio, quod in febribus continentibus curandis, ubi nulla primarum viarum læsio in causa fuit, magna jam auxilii pars allata sit, si tenor febrilium symptomatum remittit, atque simul exemplum exhibeat, quod febris remittens ex solius sanguinis affectione oriatur. Verumtamen pro omni probabilitate viscera, digestioni inservientia, præternaturali quadam constitutione adfecta sunt, qua fit, ut ex cibis chyli præparatio rite perfici nequeat, quique tum sanguini admixtus, exacerbationem producit. Patet

ex his, quod omnino febris continens ex colluvie vitiosa primarum viarum oriri possit, quocum observata Cl. SARCONE coincidunt (*v. l. c. T.* 2. *p.* 93. *T.* 3. *p.* 182), quodque recte adnotavit Cl. RAUVERT in diss. sub præsidio Ill. BALDING. habita *de febrium acutarum Therapia p.* 42. Tamen hæc colluvies, iam diu in primis viis hæret, febrim continentem non excitat, neque hinc causa ejusdem materialis dicenda est; sed jure ad remotas causas relegatur. Sanguini autem admixta febrium continentium causam materialem, vel, quod idem est, earundem naturam sistit. Duplex hinc datur febrium continentium status, quorum alter febres continentes ex sanguinis vitio, in eodem primarie genito, alter autem illas, quæ fomitem ex primis viis vel ex visceribus chylopoieticis trahunt, spectat. Ille veras synochas primarias comprehendit, quæ a principio usque ad finem typum continentem observant, hic autem eas sistit, quæ ex remittentibus oriuntur. An in binis casibus purgantia vitanda? An ergo canon practicus: „continentem febrium typum purgantium contraindicans esse"? Omnino, optimis practicis consentientibus, affirmando responderi debet. Priori enim in casu nullam natura præbet indicationem, quod per hanc viam hostem expellere, prona sit. Altero autem in passu vires artificialem purgationem haud ferunt, nisi natura ipsa hanc viam seligat, atque ex sanguine materiem ad primas vias denuo deferat. Conamina ergo naturæ observanda sunt, quamvis in his febribus judicatio critica haud ita regulariter eveniat, quam in iis, quarum fomes statim ab initio in sanguine fuit. Hæc de natura continentium sufficiant. Id tantum adhuc, ut moneam, habeo, quod hæc continua febrilium symptomatum afflictio non ita stricte sumi debeat, quin uno

vel altero tempore mitiorem vel graviorem in modum intendi posset. Medela, victus, aliaque hanc mutationem efficere possunt, quum tamen febris pro continenti haberi debeat, quoniam remissiones atque exacerbationes non ita sunt manifestæ ac regulares, uti in biliosis &c. deprehendere licet (*cf.* SAUVAGES *Nos. method. T. 2. P. I. p. 231, 240. de* HAEN *Thes. febr. divis fist. p. 10.*). Ita stricte quidem BRENDELIUS typi continentis vocem, ut sumserit, videtur, quum plane dubitet, febres continentes nostris in regionibus occurrere (*v. diss. de febr. partit.* §. 5.), quod tamen ex propria observatione redarguere possum, quamvis omnino concedendum, eas remittentibus multo rariores esse.

GENUS PRIMUM CONTINENTIUM.

CONTINENS INFLAMMATORIA.

Exaestuatio. Refrigerium (*a*). Neglecta sanguinis missio, & suppressio haemorrhagiae consuetae, atque plethora ex his causis contracta (*b*). Contagium. Vulnus & alia irritamenta tam interna quam externa. Constitutio robusta ac sensilis, sit haec vel naturalis, vel ex anni tempestate orta (*c*), perflante nempe diu borea (*d*), praecipue hyemis tempore (*e*). Sanguis ex vena detractus spissus, crusta alba vel

(*a*) v. de Haen *Rat. medend.* T. 2. p. 19. *Cl.* Gesner *Beob. a. d. Arzeneigel.* B. 1. p. 118.

(*b*) v. de Haen l. c.

(*c*) v. Huxham *Op. Ed. Reichel*, T. 1. p. 12 seq. T. 2. p. 136.

(*d*) v. Langrish *modern theory and practice of physic. London* 1738. p. 10 seq. Huxham l. c. T. 1. p. 181 185. & T. 2. p. 37. 48. *Cl.* Sarcone l. c. T. 1. p. 60. 96.

(*e*) v. Hippocrat. *Aphor.* S. 3. n. 23. Pringle l. c. p. 80, 124, 169. Wintringham *Comment. nosol. in Opp. Lond.* 1752. V. 2. p. 182, 198, 277, 312, 347. Grant *Beobachtungen über die Natur und Heilung der Fieber. Aus dem Englischen übersetzt. Leipzig* 1785. p. 110.

grysea obtectus, ac parum vel nil seri secedens (*f*). Pulsus durus, plenus, celer (*g*). Lingua arida, aliquanto alba (*h*). Cutis initio arida. Urina ante coctionem pro febris intensitate rubra, declinante vero morbo in colorem lateritium abit, turbatur, atque pulverulentum quid rubrum secedit. Vires ac sensilitas bonæ. Corripit absque multis prægressis prodromis. Symptomata correspondentia.

(*f*) Hic sanguis sedulo discernendus est ab illo, qui ob pituitæ copiam ejusdemque tenacitatem crustæ inflammatoriæ præ se fert speciem. Laxior tam crustæ quam cruoris cohæsio, & coexistentia constitutionis phlegmaticæ cacochymicæ absque veræ inflammatoriæ indolis reliquis signis, diagnosin hujus atque differentiam illius conditionis constituunt. cf. LEVELING *disquisit. crust. inflammat.* C. I.

(*g*) Quandoque a nimia sanguinis copia pulsus oppressus deprehenditur ac vires languunt, ubi, phlebotomia instituta, pulsus excitatur, ac fortior & plenior evadit. v. HUXHAM l. c. T. 2. p. 19, 131, 166. *Cl.* STRACK *de morbo cum petechiis.* p. 277. *Cl.* JUNGSCHULTZ *diss. cit.* p. 17. LEAKE *Childbed fever* p. 113. seq. Sic etiam in pulmonum, cerebri & intestinorum inflammatione pulsus ab hac conditione aberrat, ubi febris natura ex reliquis judicanda est.

(*h*) Hæc linguæ albedo impuritatum in primis viis signum non est, si nempe papillulæ modo emicant. In pulmonum inflammatione alia facie adparet, de qua infra.

Omnia hæc indicant (1): ad Venæsectionem (v. GLASS. *Comment. de febrib. Ed. Ill.* BALDING. *p. 55. seq.* HUXHAM *T. II. p. 18 seq.* PRINGLE *p. 126.* SCHRÖDERI & JUNGSCHULTZ *diss. de venæs. in febr. instit. præcip. cautel.* §. 4. *Cl.* RAVERT *diss. cit. p. 62 seq.* QUARIN *Method. febr. med. p. 9. seq.*) (2) ad medicamenta resolventia & diluentia, (v. HUXHAM T. II. p. 20. BROCKLESBY *Oeconom. u. medic. Beobacht. p. 97. Cl.* RAVERT *diss. cit. p. 64. seq.*) inter quæ præcipue nitrum in forma mixturæ adhibendum, atque acida tam vegetabilia quam mineralia cum potu diluente atque emolliente miscenda, eminent (QUARIN l. c. p. 12) (3). Ad emollientia, v. c. clysteres emollientes, Balnea tepida, fomentationes &c. (HUXHAM l. c. p. 26) (4). Ad Sinapismos (QUARIN l. c. p. 22.) & ad Vesicatoria (v. GLASS. l. c. p. 165. PRINGLE l. c. p. 130. *Whytt* WORKS *publ. by his Son. p. 241. seq.*) (5). Ad regimen temperatum atque victum tenuem vegetabilem (*cf. ea, quæ de* HAEN *de methodo refrigerante in Rat. met. ubique proposuit et* QUARIN *l. c. p. 14.*). Camphora & lenia diaphoretica, remediis atque medicamentis memoratis modo prægressis, locum nonnumquam habere possunt, si molimina deprehenduntur, quibus natura materiem per cutim ejicere conata est, & tamen actuositate illa caret, quæ, ad opus perficiendum, requiritur (v. PRINGLE l. c. p. 129.). Opium autem solvendis obstructionibus phlogisticis dicatum non est, (v. TRALLES *Usus Opii T. II. p. 81. seq.* QUARIN *l. c. p. 18*). Sed tantum demissis symptomatibus inflammatoriis, & spasmis urgentibus, usurpari debet (v. PRINGLE *l. c. p. 132*). Roborantia, ad causam materialem harum febrium tollendam, minime conveniunt (v. HUXHAM *T. I. p. 299.*)

nisi jam remissiones adpareant (v. QUARIN l. c. p. 23). Solvuntur hujus generis morbi, hæmorrhagia, sudore, urina, sputo, fluxu narium, suppuratione, diarrhœa. Ultimam hanc viam natura rarissime sequitur. Indicatur hæmorrhagia narium rubedine oculorum, temporum gravitate, visus hebetudine, acuto occipitis dolore, lachrymis involuntariis, narium pruritu, pulsu dicroto (cf. QUARIN l. c. p. 26. PEZOLD *spec. semiot.* §. 19.). Sudorem præcedunt urina parca, cutis mollis, pruriginosa, pulsus mollis undosus (v. PEZOLD l. c. §. 25. QUARIN l. c.). Urinam criticam fore præsagiunt gravitas hypochondriorum & lumborum, ardoris circa pudenda sensus (QUARIN l. c. PEZOLD l. c. §. 24. De reliquis v. PEZOLD l. c. §. 21). Accidunt crises potissimum diebus quaternariis & septenariis (v. PEZOLD l. c. §. 17. QUARIN l. c. p. 17. HAEN l. c. T. 1. C. 4).

Ex hac adparenti sanguinis crassa conditione, sicut ex diluente curativa methodo sæpe conclusio trahitur, densitatem vel lentorem humorum id esse, quod his febribus peculiariter atque essentialiter competat. Quod autem hæc opinio nondum extra omnem dubitationem posita sit, sequentes difficultates, quibus adhuc premitur, probabunt. (1) Satis rapide plerumque sanguis e vena fluit, quid! quod observante HAENIO (*T. 1. p. 75. & T. XI. p. 95*) haud raro accidit, ut crusta eo crassior adpareat, quo majori impetu sanguis effluit, quamvis etiam contrarium viderit. (2) A sanguinis e vena missi conditione ad eam, qua gaudet, dum in vasis fluit, conclusio haud valet. Fortassis enim ille sanguis e vena missus densus, dum in corpore circulat, satis fluidæ consistentiæ est, id quod ex modo memorato sanguinis rapido fluxu haud absque ratione opinari potest. Revera enim sanguis phlogisticus sano lentius

in coagulum abit (*v. Philof. Tranfact. V. 60. Goett. Anzeig. St.* 107. *p.* 917), atque ex HAENII experimentis, cum fanguine inftitutis, cruftam phlogifticam etiam ex diffoluto fanguine parari poffe, didicimus (*v. l. c. T.* 1. *pag.* 77), ut ergo, nifi femper, nonnunquam tamen crufta inflammatoria putredinis fequela effe poffit. (3) Hæc cruftæ apparitio, ut nonnunquam ab accidentalibus circumftantiis pendeat, videtur. Febri enim non femper refpondet (*v. Cl.* GESNER *Beob. B.* 1. *p.* 121), & quandoque in febris initio deeft, ac fecundo vel tertio die modo confpicitur (*v.* HUXHAM *l. c. T.* 2. *p.* 45. 170. HAEN *l. c. T.* 1. *p.* 74. *P.* 9. *p.* 4. 24. *Cel.* GRIMM *von der Epidemie zu Eifenach p.* 26. *Cl.* JUNGSCHULTZ *diff. p.* 12). Accidit præterea, ut hæc crufta a principio morbi ufque ad finem plenarie defit, ubi tamen ex reliquis phænomenis inflammatoria febris indoles manifefta eft (*v.* SWIETEN *Comment. T.* 1. *ad* §. 384. HAEN *l. c. T.* 1. *p.* 74. SARCONE *l. c. T.* 2. *p.* 291. *Cl.* JUNGSCHULTZ *l. c.*). Differt porro hæc crufta pro luminis venæ (HAEN *l. c. T.* 9. *C.* 2. §. 3), & pro vaforum, quibus excipitur, differenti conditione (*v.* HAEN *l. c.* GESNER *l. c. B.* 1. *p.* 123), & nonnunquam uno in vafe vere pleuriticus, in altero penitus folutus fanguis in confpectum venit (*v.* HAEN *l. c. T.* 10. *p.* 242). Hinc omnes hi auctores fedulo monent, ex folius fanguinis conditione ad curationem haud fecure concludi poffe (*cf.* ELLER *Obf. de cogn. & cur. morb. p.* 197 *feq.*). (4) Hæc crufta fæpe in faniffimorum hominum fanguine obviam prodit, ubi ne veftigium morbi adparet (*v.* SWIETEN *l. c. T.* 1. *ad* §. 384. T. V. p. 14. HAEN *l. c. T.* 10. *C.* 5. *p.* 242. GESNER *l. c. B.* 1. *p.* 126), & SARCONE hanc diathefin Helvetiæ incolis fere naturalem effe

adfirmat (*v. l. c. T. 1. p. 96*). Sicut etiam RUYSCHIANA experimenta atque HAENIANA ex sano sanguine crustam phlogisticam parare docent (5). Sæpe in aliis morbis sanguis phlogisticus deprehenditur, quibus tamen methodus antiphlogistica haud congruit. Sic in febri nervosa sanguinem pleuriticum vidit HOME (*v. Medical facts and experiments p. 194*). In podagra eum nonnunquam adesse, adfirmat SYDENHAM (*v. Opp. Ed. Lugd. p. 446*). Omnia hæc satis superque evincunt, quod ex sanguinis illa conditione absque reliquorum phænomenorum coincidentia nil certi ad praxin nec ad febris naturam consequi possit. Coincidit quidem quodammodo cum hac opinione observatum illud, quod nempe quandoque hæ febres non prius judicentur, nisi sanguis antea dissolutus apparuerit (v. HAEN *l. c. T. 10. C. 5 p. 241.* SARCONE *l. c. T. 2. p. 166. seq.*). Attamen hoc factum evidentem conclusionem non admittit, quoniam alia ratio quam densitatis imminutio adesse potest, secundum quam materia per sanguinis dissolutionem ad exitum apta redditur. Alterum argumentum quod attinet, haud majori gaudet evidentia. Conveniunt enim diluentia multis aliis morbis, quibus humorum densitas attribui nequit. Nec certitudine adfirmari potest, quod potus antiphlogisticus diluendo tantum prosit. Si ex medicamentorum relationibus chemicis ad operationes eorundem in corpore humano concludere velimus, eadem ratione contrarium simul consequi poterit. Satis nempe nota est proprietas illa acidi vitriolici, qua humores animales extra corpus vivens coagulare & incrassare valet, id quod eodem modo in corpore vivente, assumto illo, contingat, ex effectubus ejusdem in morbis putridis quodammodo verificatur. Et tamen idem acidum, optimis practicis con-

sentientibus, haud parum ad inflammatoriam sanguinis diathesin minuendam contribuit. HEWSON (*Experimental Enquiries into the properties of the blood. London 1772*) e contrario crustam inflammatoriam ex majori sanguinis fluiditate deducit, quoniam sanguis phlogisticus sano lentius coagulat, indeque cruori tempus datur, ut a lympha secedat, quæ nunc ab aëris reactione coagulatur. HEY (*observations on the blood. London 1779*) quidem credit, crassamentum ipsum non attenuatum sed majori tantum seri copia dilutum esse, ita ut lymphæ coagulabilis separatio facilius fieri possit. Idem auctor pro diatheseos inflammatoriæ criterio majorem lymphæ coagulabilis quantitatem dat. Nulla ergo ab argumentis supra datis ad humorum densitatem fundata conclusio duci potest, quin causam potius harum febrium materialem alio modo aliaque ratione quam densitatis, febrim accendere, ex objectionibus verisimile reddatur. Neque phlogistica sanguinis crusta essentiale febris inflammatoriæ signum constituit, sed ex memoratorum symptomatum concursu & absentia signorum, quæ alias causas manifestant, febris natura vel inflammatoria ejusdem indoles judicanda est. An hæc materies, acrimonia peculiari prædita est, qua ad recensitas machinæ mutationes producendas indonea fit? Hoc ab ingenioso WHYTT satis certa probabilitate adfirmatur, (*v. on nervous disorders in Opp. a filio ed. Edinb. 1768. p. 559*). An hæc materia ex peculiari corporis dispositione sensim generatur, vel an foras admovetur? Utrumque concurrere morbi historia docet. An tandem causa materialis sanguini insit, & rationem crustæ phlogisticæ contineat? Ita HAEN adfirmat (*v. l. c. T. II. C. de gener. puris*). MOSCATI (*Neue Beobachtungen und Versuche über das Blut &c. Aus dem Italienischen.*

G iv

Stuttgard 1780.) hanc materiem, qua diathesis phlogistica efficitur, phlogiston esse, ex variis experimentis, conclusit, quæ tamen aliam adhuc explicationem admittunt.

Constitutio, huic febri favens, naturali & sanissimæ proxime abest, atque res, quæ sanitatem custodiunt, febrim ex hoc genere accendunt (*v. c. Boreas v.* SARCONE *l. c. T.* 1. *p.* 60). Hinc morbi hujus generis, proba instituta medela, non facile periculum conducunt, nec inde, permanente duro & æquali pulsu, bonisque viribus, accedentibus tunc forte ex dolore v. c. deliriis vel aliis symptomatibus nervosis, periculum pertimescendum est, nisi localis simul complicata affectio periculum inducat (*cf.* BAGLIV. *Opp. p.* 139). Attamen semper nervorum quædam debilitas vel inconsueta sensilitas adesse debet, sine qua pro omni probabilitate nulla febris locum habet, quæque forsan summum gradum sani roboris & agilitatis sequitur. Summum enim fibrarum robur cum singulari nervorum debilitate consistere posse, experientia haud infrequens docet. Et in hac nervorum peculiari constitutione differentia forte sita est, quæ febres inter & iis affines morbos chronicos obtinet.

SPECIES CONTINENTIUM INFLAMMATORIARUM.

(A) SIMPLEX.

Sub hac determinatione semper eam morbi modificationem intelligo, quæ nulla alia facie, quam ea, quæ generi competit, adparet, & ubi causæ illæ formales desunt, quarum cooperatione varia phænomena producuntur, quæ haud necessarie ex natura morbi promanant, quorum varietas ideo species constituit (*v. Introd.* §. 20. 33). Jure quidem nonnunquam opinari potest, ut simul alia causa materialis, quæ generi propria non est, se immisceat. Hinc inde vel novum genus ponendum esse, systematis regulæ postulant, vel notionum, ut ita dicam, universalitas aliquo modo infringi debet. Sic v. c. tali febri pituita quædam vel irritamentum peculiare vel aliud quid, qua causa, simul adesse potest, quo natura febris quodammodo diverse modificatur. Annon autem hac ratione febrium differentia in infinitum fere progrediretur? An omnes has varietates ita cognoscamus, ut eas determinare possemus? „ Malumus hic gradum cohibere, „ quam per tenebras illidere. " Neque hujus defectus admissione systematis nostri utilitas dirimi potest, quatenus hanc deflectionem practicus ignorat. Quum enim methodus nostra nudis experientiæ factis superstructa sit, systematis vitia observationis penuriæ tribuenda erunt, nec ex iis praxi damnum enasci potest. Observatione locupletata systema ad majorem perfectionis gra-

dum facile vehitur, illaque deficiente, ſyſtematicus in culpa non eſt. Monitu haud forte opus eſt, unam tantum dari poſſe ſpeciem ſimplicem. Quando enim phænomena, generi univerſaliter haud perpetua, adparent, alia cauſa atque a generica diverſa adeſt, quæ tunc complicationis notionem præbet. v. infra.

SYNOCHUS *imputris* GALENI, (*de diff. febr. l. c. C.* 12. *& method. med. l.* 9. *C.* 4. *& l.* 11. *C.* 14.). *Synocha ſimplex* HOFFMANNI (*Med. rat. ſyſt. T.* 2. *l.* 3. *C.* 1.). *Continua non putris* BOERHAVII (*van* SWIETEN *T. II. p.* 417. *T. III. p.* 124. *Ed. Lugd.*). *Febris inflammatoria ſimplex* HUXHAMI (*l. c. T. II. p.* 15.). *Simple inflammatory Fever* BROCKLESBY (*Oeconomical and medical Obſerv. Lond.* 1764. *p.* 145. *vel verſ. meæ p.* 95.) *&* PRINGLII (*l. c. p.* 124.) *cf.* BROOKES *general practice of phyſic. V.* 1. *p.* 149. GRANT (*l. c. p.* 473.).

Pulſus reliquis febribus inflammatoriis minus durus, minus ſpaſticus, reliquis plenior. Nulla inflammatio localis. Excretiones haud prorſus ſuppreſſæ.

Ulteriori probatione haud egere videtur, quod febris ex diatheſi phlogiſtica abſque inflammatione le-

cali adesse possit, quum id auctorum observatione extra omnem dubitationem positum sit, quamvis haec diathesis nunc majori nunc minori gradu intersit, ac priori in casu omnino facile inflammationem contrahat, posteriori in passu autem facile negligatur, praetereaque sicut omnes febres vere continentes haud frequenter occurrat. Caeterum ex hujus speciei cum genere competentia sequitur, ut omnia insimul, quae de natura & curationis ratione generis dicta sunt, speciatim sibi vindicet.

Nonnunquam suppurationis universalis species in his febribus post mortem deprehenditur, dum omnia viscera humore puriformi obtecta inveniuntur. Et quidem saepe in istis locis haec materia reperitur, ubi alias lympha secernitur, cf. HEWSON *Experim. Inquir. into the lymphatic. system.* p. 118. An hic inflammatio a neotericis quibusdam venae dicta hic pertineat?

(B) COMPLICATAE.

Ex supra de simplicitate posita notione facile complicationis idea, quam hic termino affigere mens est, deduci poterit. Eam nempe morbi denotat speciem, quae uno alterove symptomate aut pluribus a causa materiali generis haud necessarie pendentibus, sed diversarum formalium causarum concursu productis, stipata est. Iisdem quidem difficultatibus haec notio obnoxia est, quibus prior premitur. Concurrunt nempe omnino ad producendas species, quas huic rubricae inserere de jure esse aestimo, diversae aliae causae materiales, quae generi proprie non competunt. Sic v. c.

natura febris variolosæ sine dubio ab ea pleuritidis vel aliæ febris inflammatoriæ, cum inflammatione particulari conjunctæ, discedit, neque has febres in omnibus, ratione causæ materialis consimiles esse, quisquam adfirmabit. An autem ideo variolæ inflammatoriæ indolis novum genus determinant? Nonne curationis ratione, seu distinctionis nostræ fundamentum, proxime conveniunt? An discessio optimæ hucusque medendi methodi cognitæ, in variolis hujus indolis major est, quam ea, qua curatio specialis pleuritidis a generali differt? Qui ea, quæ generaliter de nostra ordinandi methodo proposui, attento quodam animo perlegerit, facile has quæstiones solvet, atque mecum consentiet, omnes febres, quarum curatio methodum medendi antiphlogisticam proprie sibi vindicat, ad unum idemque genus febrium inflammatoriarum referendas esse, quamvis ratione causarum quodammodo differunt. Posteris, factis experientiæ magis ditatis, eorum ulteriorem suppletionem tradimus, quæ, necessitate coacti, negligere oportet. Ubi quidem diversæ causæ materiales concurrunt, ab illa fundamentum ordinationis sumi debet, cujus curatione morbus aufertur. Concursus diversarum causarum materialium ita junctus, complicationis nostræ notioni respondet. Sæpe etiam febres perperam ob diversam phænomenorum faciem pro complicatis habentur, neque ob ambiguitatem evitandam, a levi causarum materialium differentia generica dispositio fieri debet. Febris exanthematica cum inflammatione locali conjuncta, plerumque febris complicata dicitur, quamvis omnia hæc phænomena haud raro ex uno eodemque fonte promanant. Quid enim naturam febris exanthematicæ constituit? Miasma vel Contagium? Minime. Hoc ad causas remotas pertinet. Ea solidorum & humorum di-

ſpoſitio, quam contagium pro terræ, loci, aëris & corporis ſingulari conſtitutione producit, ipſius morbi cauſam materialem ſiſtit. At cum hoc contagium ſæpe diatheſin inflammatoriam excitat, ex eadem ſimul inflammatio localis conſequi poteſt. Ergo complicatio nulla. Differentia cauſarum remotarum in ſpeciebus quidem determinandis nonnunquam attendenda eſt, nullo autem modo genera conſtituere poteſt.

(α) CUM INFLAMMATIONE LOCALI.

(1) Phlegmone.

Sensatio doloris atque ardoris permanens cum partis adfectæ læſa functione.

Hæc ſigna, ab omnibus aliis ſeparatim ſpectata, haud raro aliarum etiam conditionum morboſarum indicia ſiſtunt, neque ſemper ſufficienti evidentia inflammationem portendunt. Sic ſpaſtici affectus canalis inteſtinorum ſæpe ita vehementer excruciant, atque certo quodam loco tam pertinaciter ac fixe inhærent, ut maxima in dubitatione hæreamus, an dolor pro mere ſpaſtico vel pro vere inflammatorio habendus ſit. Ita v. c. vehementiſſima cephalalgia ex mera congeſtione, ortaque exinde ſpaſtica contractione in febribus nonunquam ſævit. Sic contraria ratione haud raro inflammatio occulte ſerpit, ita ut maxima medici attentio decipiatur. Sæpe enim dolor, conſtans alias inflammationis pediſſequus, atque internarum inflammationum unicum fere ſignum, experientia teſte defuit (v. Morgagni *de cauſ. ac ſed. morb. Epiſt.* 20. *Art.* 25. Haen *l. c. P. XIV. p.* 233 *ſeq. Cl.* Wienholt *Diſſ. de inflammationibus occultis. Gœtt.* 1772. *p.* 6 *ſeq.*), neque ſemper perturbata fuit functio, parti adfectæ dicata (*v.* Wienholt *l. c. p.* 7.), nec tandem febris cum dolo-

re coexistentia partem quandam inflammatam esse indubie testatur, quum, ut modo monui, spasmus, inflammationem mentiens, etiam in febribus observetur, atque inflammatio absque febri vere existere possit (*v. van* SWIETEN *Comment. T. I. ad §. 370. Cl.* WIENHOLT *l. c. p. 5.* HAEN *l. c. T. XIV. p. 131*). Attamen omnes hæ fallaciæ nostris in febribus vere inflammatoriæ indolis haud temere contingere solent, sed scimus ex observatis, hanc deceptionem in febribus biliosis, nervosis atque putridis multo esse frequentiorem, quam in febribus vere inflammatoriis, ac particularem inflammationem huic febri adjunctam esse, ex signis supra positis satis secure conjici potest. Certa præterea sibique propria quæque partialis inflammatio habet symptomata, ex quorum concursu atque ad totum morbum relatione diagnosis eo facilius instituitur. Solvitur hæc machinæ ægritudo, dum materies illa, qua inflammatio existit, humoribus iterum assimilatur, & simul cum reliqua febris causæ materialis parte virium naturæ motricium, remediorum atque medicamentorum ope extricatur, vel dum sibi ipsa natura exitum per suppurationem parat. Et hæc ultima morbi solutio sequi solet, si quarto morbi die, prior facta non fuerit, quamvis hic suppurationis terminus haud raro ad diem septimum vel ultra protrahitur (*v.* HAEN *l. c. T. XIV. S. 1. C. 5*).

Docuit nos experientia, inflammationis resolutionem omni ea opitulatione tentandam atque perficiendam esse, quæ generalem curationem respicit, dum hujus ratio speciali adfectioni, pro diverso ejusdem situ & partium adfectarum varia conditione, tantum magis specialiter adaptatur. Et quidem venæ sectionem in parte ipsa adfecta, vel proxima huic saltim vicinia cum

fructu instituendam esse, observatio confirmat (*v. Cl.* RAVERT *diss. cit. p. 63*). Remediorum inflammationem resolventium sparta speciali etiam vesicatoria funguntur, quorum parti adfectæ immediata adplicatio nostris temporibus eximia utilitate commendatur, cujus auctores videantur in *Cl.* RAVERT *diss. p. 69.* (*cf. etiam meretur* WHYTT WORKS *cit. p. 241. et* BORDEV *vom schleimichten Gewebe. p. 168.*) quo etiam fomentationes siccæ camphoratæ pertinent, ea tamen differentia, ut vesicatoria materiem immediate extricare, fomentationes autem ad materiei assimilationem symbolam conferre, videantur. Hæc remedia autem tunc demum locum habent, quando humores diluti, eorundemque motus venæsectione et medicamentis temperantibus ac diluentibus jam sopiti sunt. Vesicatoria non tantum revellendo agere, sed inter ipsa medicamenta resolventia locum tenere, inde patet, quod usus externus Tincturæ Cantharidum effectum eundem edat absque pustulis et cutis inflammatione, cf. ALEXANDER *medicinische Versuche und Erfahrungen. Aus dem Englischen. 1773. p. 168.* Emollientia etiam in usum vocantur, quamvis hæc magis ad promovendam suppurationem, quam ad resolutionem perficiendam plerumque spectant. Conferri hic merentur, quæ nuper Cl. GOVLARD huic curationis rationi in Opusculis chirurgicis objecit, cujus tamen remedium adstringens nostris inflammationibus congruens esse, haud videtur, id quod etiam de aquæ frigidæ (*v.* SARCONE *l. c. T. 1. p. 208.*) & corticis peruviani usu valet, (*v. Cl.* WIENHOLT *l. c. p. 31*). Quippe quæ remedia magis in iis curandis inflammationibus commendanda sunt, quæ febribus putridis superveniunt. Ubi interea nimia solidorum strictura cum aucta solidorum sensibili-

tate

tate adest, balnea tepida omnino eximio fructu adhiberi possunt. Quodsi simul ex peculiari idiosyncrasia ægrorum ventriculus nitrum aliaque medicamenta resolventia ferre nequit, hæc in balneis soluta officia sua optime præstare valent, cf. ALEXANDER *libr. cit* De usu opii in principio, ad dolorem compescendum, facto v. SARCONE *l. c. T. 1. p. 158. seq.*

Quænam nunc ex omnibus his de inflammatione prolatis ad naturam ejusdem conclusio duci potest? An materies, quæ febrim accendit, quæ phlogisticam sanguinis crustam format, quæ inflammationem producit, & quæ postea sputorum vel puris forma excernitur, una est eademque? Id veritati haud valde absimile esse, ex curationis febris atque inflammationis analogia, & ex similitudine materiei, quæ cadaveribus apertis in locis inflammatis transsudata conspicitur (*v.* HAEN *l. c. T. 1. p. 85. T. 2. p. 15. Cotunn. de Ischiad. nervos. §. 22.* SARCONE *l. c. T. 2. p. 188*), cum ea, quæ sanguini phlogistico admixta est, haud absque probabilitate opinari potest. SYDENHAM eandem opinionem adoptavit, dum ait: „Ex præcipitatione materiæ febrilis, „ crudæ nondumque per idoneam ebullitionem subactæ „ adeoque nec ad separationem debitam per loca magis „ conferentia præparatæ, in pleuram pleuritis produ-„ citur" (*v. Opp. Ed. Lugd. p. 263.*). Et paulo infra addit: „Pleuritidem nihil aliud esse arbitror, quam „ febrem a propria & peculiari sanguinis inflammatione „ ortam, qua natura materiam peccantem in pleuram „ deponit, nonnunquam & in pulmones, unde perip-„ neumonia suboritur, quam a priore gradu tantum & „ pro majore ejusdem causæ intensione extentuque la-„ tiori, differre autumo" (*l. c. p. 264. seq.*). Sicut autem sanguinis phlogistica diathesis (ea saltim, quæ

H

manifeste adparet), magis pro febris effectu habenda est, sic forte ad inflammationis existentiam aliud quid requiritur, quod in crusta non est. Sæpe enim nulla sanguinis inflammatoria conditio deprehenditur vel modo quandoque post aliquod præterlapsum temporis spatium, quo inflammatio jam adfuit, obviam prodit, & sic tandem haud raro sanguis antea phlogisticus nunc dissoluta facie adparet, absque ulla inflammationis imminutione (*v.* HAEN *l. c. T. 10. p. 242.*), quamvis etiam hic, materiem phlogisticam omnem nunc ad locum adfectum depositam esse, dici posse, perspiciam. Neque semper localis inflammatio pro febris effectu habenda est, quum haud raro hæc, inflammatione prægressa, sequitur (*v.* SARÇONE *l. c. T. 1. §. 154, 186*). An porro inflammatoria materies sola densitate atque inde oborta in vasis obstructione causam constituat? Haud videtur, quum anastomoseos ratione sola vasorum quorundam obstructio irritare & adfluxum humorum attrahere nequeat. Hinc, ut materia non ex sola tenacitate, sed ex acrimonia quadam, partes sensiles irritante, inflammationem producat, videtur (*v.* WHYTT *l. c. p. 230.*), id quod inflammationum externarum geneseos atque omnium curationis rationibus simul confirmatur. An autem hæc acris materia in vasis tantum hæreat, eorundemque extensione tumorem efficiat, vel an hæc materies in cellulosa extravasata symptomata sua edat? Prius popularem sistit opinionem, posteriorem in cellulosa humorum extravasationem unicam inflammationum rationem continere, BORDEV adfirmat (*v. vom schleimichten Gewebe*), utrumque in natura vere existere haud exigua probabilitate adsumi potest. Satis enim perspicue vasorum illam extensionem in ophthalmia deprehendimus, atque simul hinc inde talis inflammationum ratio-

nis existentia in dubium vocari nequit, quamvis hoc omnino in minimis tantummodo vasis locum habere videatur, quoniam transpirationis suppressione acris materia, quæ per vascula excretoria minima evehi debebat, in iis stagnare cogitur, neque facile resorberi ac vasis majoribus advehi posse, credi potest (v. WHYTT *l. c. Edimburg. Versuche T. a. p. 46*). Alteram inflammationis geneseos rationem quod attinet, variis ea metastasium phænomenis quodammodo verificatur, neque talis ad cutis cellulas humorum depositio negari potest, quamvis dubium relinquitur, an causæ partem constituat, vel annon pro inflammationis ipsius effectu habenda sit. Secundum BORDEU ex hac ratione præcipue inflammationes ex consensu, v. c. e bile &c. fiunt, quæ autem hic non pertinent, sicut præterea inflammatio; generi nostro febrium propria, ab omnibus aliis a febri biliosa vel putrida pendentibus, sedulo discernenda est. Plura enim existere inflammationis genera naturalia, ex subsequentibus adparebit, neque hinc natura inflammationis semper una est, eademque; sed pro varia constitutione & pro diversis causis remotis admodum differt. Hic tantum de ea inflammatione nobis agendum fuit, quæ a febri vere inflammatoria pendet, & huic tantum ea adplicari debent, quæ hic proposita sunt. Quodsi termino quodam hoc inflammationum genus insignire velimus, optimé Phlegmone dicitur, quo nomine tunc inflammationes a bile, e putredine, ex miasmate rheumatico, arthritico, venereo & ab erysipelate &c. ab hac phlegmone separari debent.

Accidit interdum, quod inflammatio absque ullo sensibili motu febrili decursum suum absolvat, sed inde febrim cum inflammatione locali conjunctam a simplici

inflammatoria essentialiter & generice distinctam esse, nullo modo sequitur, cum haud alia ratione ab ea, nisi illa differat, quod in casu priori materiæ impetus haud æquabiliter in totum corpus, sed præcipue in partem quandam singularem ruat, ibidemque conjuncta vi nocivum suum influxum exerceat. Tum febris tum inflammatio ab una eademque causa materiali pendent, diversis tantum circumstantiis quibusdam formalibus. Verum nempe est, quod febris sæpe ab inflammatione accendatur, contrarioque modo inflammatio ab impetu motuum febrilium producatur. Sed hæc differentia haud essentialis æstimanda est. Præsenti diathesi phlogistica febris per inflammationem accensa, semper inflammatoriæ indolis est. Prægressa febri inflammatoriæ indolis inflammatio inde oborta febris naturam haud mutat. Inflammatio nulla febri conjuncta gradu tantum a prioribus differt, cum medendi methodus eadem sit. Secundum hæc principia, praxi suffulta, differentia generica inter febrim simplicem inflammatoriam & illam cum inflammatione locali conjunctam, locum habere non potest.

1. INFLAMMATIO OCULORUM

(*a*) *Externa*.

Chemosis VOGELII (*Prael. de cogn. & cur. C. H. Adf. p.* 128. §. 175. PRINGLE *l. c. p.* 135).

Rubor, dolor & tumor tunicae adnatae.

(*b*) *Interna*.

Ophthalmitis VOGELII (*l. c.* §. 178).

Dolor vehemens. Magna oculorum sensilitas. Visus valde debilitatus.

2. INFLAMMATIO AURIUM.

(*a*) *Externa*.

Otites externus VOGELII (*l. c.* §. 170).

Rubor, dolor & tumor auris externae.

(*b*) *Interna*.

Otites internus VOGELII (*l. c.* §. 170).

Dolor magnus, ardens & pulsatilis auris internae.

3. INFLAMMATIO LARYNGIS MEMBRANACEA.

Suffocatio stridula HOME (*Inquiry into the nature cause and cure of the croup. Edinburgh.* 1765). *Angina membranacea* ROSENSTEIN *l. c.* 595. *Angina polyposa neotericorum* (*cf.* CULLEN *l. c. p.* 206).

Infantes delactati ad duodecimum annum adoritur. Raucedo sibilans. Dolor capitis laryngis. Respiratio difficilis. Aut tussis sicca, aut exscreatio membranularum. Cutis membranacea laryngem obtegens.

Hæc membrana a multis medicis pituitosæ originis creditur; pro omni verisimilitudine autem nihil aliud est, nisi cutis ipsa ab acrimonia incrassata atque separata, veluti idem in excoriationibus scrophulosis & scorbuticis deprehenditur. Hoc inde simul elucescit, quod hæc inflammatio raro in suppurationem vel gangrænam abeat, sed potius spasmodica affectione & mechanica suffocatione noceat. Hinc peculiaris acrimonia, scrophulosæ forsan naturæ, hujus morbi differentiam ab aliis constituit. Annon hic mercurialia, usque ad salivationem propinata, utilia?

4. INFLAMMATIO PHARYNGIS.

Synanche TRALLIANI (*v. l.* 4. *C. v.*) & *Aeginetæ* (*v. l.* 3. *C.* 37). *Cynanche Aretæi*

(*de Sign. & cauſ. morb. L. I. C. 7*). *Angina cum tumore* BOERHAVII (*Aphor. 804*) *cf.* BROCKLESBY *l. c. p. 149. vel verſ. p. 99.* PRINGLE *l. c. p. 137. Cynanche ſanguinea* SAUVAGES *l. c. T. I. p. 487.*

Vox mutata. Deglutitio difficilis. Signa inflammationis perſpicua.

Curatio ſpecialis gargariſmatum uſum ſibi vindicat, quæ reſolutionem promoveant. Ribes nigrum hic ſpecifice agere, legitur in Philoſ. Tranſ. N. 459.

5. INFLAMMATIO LARYNGIS.

Cynanche TRALLIANI & AEGINETÆ (*v. l. c.*). *Synanche* ARETAEI (*v. l. c.*) & CELSI (*L. 4. C. 4*). *Angina abſque tumore* BOERHAVII (*Aphor. 802*). *Cynanche Trachealis* CULLEN (*v. Anfangſgründe der practiſchen Arzeneiwiſſenſchaft. T. 1. p. 204*).

Spiritus onere & cum ſonore trahitur. Vox clangoſa, ſtridula, acutiſſima. Vertigo. Anxietates. Rubor faciei atque oculorum. Deglutitio valde doloroſa. Nulla manifeſta inflammationis ſigna.

Nonnunquam hydrophobiam ad laryngis inflammationis ſymptomata numerandam eſſe, probabilitate gaudet (*v. Edimb. Verſ. T. I. Art. 29.*), niſi alia ſimul cauſa

H iv

adest, qua peculiare hoc symptoma efficitur, id quod ex materia viridi, quæ memorato casu per vomitum ejecta ac quodammodo critica fuit, patescere videtur. De complicatione inflammationum laryngis & pharyngis v. SYDENHAM *Opp. Ed. Genev.* 1757. *S.* 1. *C.* 3. *p.* 60. ELLER *Obs. de cogn. & cur. febr. p.* 172. VOGEL *l. c. p.* 135.

6. INFLAMMATIO LINGUÆ.

Glossitis. VOGELII *l. c. p.* 130. *seq.* van SWIETEN *Comment. II. p.* 626.

Linguæ dolor & tumor. Loquela, & deglutitio difficiles. Profluvium salivæ spissioris.

7. INFLAMMATIO ASPERÆ ARTERIÆ.

BOERHAVE *l. c. Aphor.* 801 *ejusdemque Commentat. p.* 655. *Cynanche trachealis* SAUVAGES *l. c. p.* 491.

Vox acuta, clangosa, sibilans. Inspiratio parva, frequens, cum summo molimine. Pulsus vacillans. Summa angustia.

8. INFLAMMATIO BRONCHIORUM.

Angina pectoris SELLE (*Medicina clinica*). *Berol.* 1783. *p.* 70.

Dolores lancinantes in pectore. Respiratio difficilis. Pulsus durus. Tussis dolorosa. Cephalalgia. Sputum cruentum.

Annon hic morbus ille, qui ad litem de sede pleuritidis ansam præbuit? Id maxime persuasum habeo. Multi enim auctores in peripneumonia, i. e. in pulmonum inflammatione vehementissimos dolores pleuriticos & pulsum durum observarunt, v. MARHERR *Prælect. in Boerhav. Instit. T. 2. p. 167.* Pro omni verisimilitudine hæc phænomena ex bronchiorum inflammatione orta fuere. Mihi hunc morbum sæpe in puerperio observare contigit.

9. INFLAMMATIO PLEURÆ.

Pleuritis sine sputo HIPPOCRATIS (*v. de morb. L. 1. S. 25. & L. 2. p. 42*) *cf.* BONETI *Sepulchr. anat. L. 2. S. 4. Obs. 14. Comment. bonon. Tom. I. p. 153. van* SWIETEN *Comment. III. §. 877* SARCONE *l. c. T. I. p. 118. Naturæ ratione hanc pleuritidis speciem ab omnibus aliis sub nomine* pleuritidis veræ *optime distinxit* SAUVAGES *l. c. p. 450 de curandi ratione cf.* PRINGLE *l. c. p. 139.* BROCKLESBY *l. c. vers. germ. p. 102.*

Dolor punctorius, fixus in latere, circa sextam ut plurimum vel septimam costam ad dorsum sæpe & sternum lancinans. Inest exspiratio brevis & inæqualis.

Hic morbus multis medicis sub pleuritidis nomine notissimus est, hac tamen differentia, ut nonnulli illam

simul thoracis inflammationem, quæ dolore punctorio, tussi ac sputis corripit, a solius pleuræ inflammatione oriri, adfirment. Quodsi autem concedatur, tussim (a) ac sputa vere pleuritica semper, pulmones adfectos esse, indicare, jure meritoque pleuritidis nomen tali morbo, cui hæc symptomata adsunt, haud competit, vel saltim, ut dissensus avertatur, & pleuræ pulmonumque inflammationes rite ab invicem discernantur, usurpari non debet. Nunc observatione edocemur, sputa talia, sicut in thoracis inflammatione comparata sunt, ab ipsorum pulmonum affectione oriri (*v.* TRILLER *de pleurit. C. 1. §. 4. 5.* HUXHAM *l. c. T. II. p. 213*), neque ex solius pleuræ inflammatione evenire posse (*v.* TRILLER *l. c. §. 4. 5.*), eademque ex ratione in vera nostra pleuritide, sputa haud movenda esse, sedulo monent (*v.* HUXHAM *l. c. T. I. p. 88.* SARCONE *l. c.*). Constat porro, inflammationem solius pleuræ vere occurrere, atque hanc absque sputis esse (*v. loca supra citata.* FREIND *Comment. 5. ad libr. epidem.* HIPPOCR. *in Opp. Ed. Paris. 1735. p. 23, 25.* WENDT *Diss. sist. observ. de pleur. & peripneum. Goett. 1762. p. 29.* SARCONE *l. c. p. 136*). Plures porro consentiunt medici, hanc solius pleuræ inflammationem, absque tussi et sputis, phænomenis tantum supra positis, evenit, pleuritidis, illam vero inflammationem, quæ pulmonibus inhæret, quæque dolore obtuso gravativo se manifestat, cuique simul tussis & sputa adsunt, peripneumoniæ, & illam tandem, ubi inflammatio pleuræ ad pulmones protendit, & phænomena binis communia adparent, pleuroperipneumoniæ no-

(a) Tussis quidem sicca huic morbo ob partis adfectæ viciniam facile accedit, attamen essentialiter ei non convenit, sæpeque deest. v. HUXHAM l. c. P. 1. p. 88.

mine insigniendam esse (*v.* RIOLANI *filii Antropogr. Paris.* 1726 *p.* 335. BONETI *l. c.* HUXHAM *l. c.* TRILLER *l. c. C.* 1. §. 8. SARCONE *l. c. p.* 133). Quidnam ergo de memorabili illo medicorum, de sede pleuritidis dissensu, sentiendum? Annon ex falsa termino adjuncta notione obortus? Nonne iis positis, quae modo memoravimus, facile dirimi potest? Fateri caeterum cum HAENIO (*l. c. T. XI. C. de membr. inflam.*) oportet, nos rationem ignorare, qua fit, ut pleura sicut reliquae membranae inflammatae nullum saepe doloris vestigium edant. A MORGAGNI enim *l. c. Epist.* 20. *Art.* 55 *seq.* SARCONE *l. c. p.* 123. & HAENIO *l. c.* docemur, cadaverum sectiones saepe pleurae inflammationes in conspectum exhibere, ubi ob doloris absentiam nos antea latuerunt. Videtur in illo casu, quo dolor sentitur, inflammationem in pleurae cellulosa esse, ubi vasa sanguifera nervorumque ramuli ac vicinia musculorum intercostalium dolorem facilius excitant, cui sententiae etiam HAEN jam habeo consentientem (*v. l. c. P. IX. C.* 4. §. 4. & *P. XIV. l. c.*). Est vero etiam conditio sputi attendenda, quippe quod omnino adesse potest, absque tamen illa conditione, sub qua in pleuropneumonia deprehenditur. Dantur sputa alba, & spumida (*v.* SARCONE *l. c. p.* 137.), quandoque levamen adferentia, quae vero nec eo tempore neque ordine, ut in pleuropneumonia, succedunt. Sic etiam sputa cocta per vasa ad pulmones derivari possunt, absque ulla pulmonum laesione (*v. de* HAEN *l. c. T. I. p.* 87, & *T. IX. C.* 1. §. 9). Hic autem desunt sputa illa sanguinea, quae statim sub morbi initio adparent. Quum interdum quoque sordes primarum viarum sputum cruentum excitare possint, quod vomitorio tolli potest (*v.* ZIMMERMANN

von der Ruhr p. 24.), hoc iterum attendendum est; Neque puris veri exscreatio in contrarium sententiam meam vergit. Potest in suppuratione pleuræ aliquod puris absorberi ac exspui, sed hoc de resolutionis casu admodum differt. Sputa enim, quæ cocta audiunt, veri puris speciem, sicut nonnulli supponunt, haud præbent, cujus rationes omnium optime exposuit SARCONE *l. c. T. I. p. 189 seq. & p. 215.* Omnino tandem morbus haud frequenter occurrit, quum facile in consensum pulmones trahantur, vel versa ratione, affectis pulmonibus, inflammatio facile ad pleuram usque protendatur (*v.* HUXHAM *l. c. T. II. p. 215.* ELLER *l. c. p. 179*), præcipue si pleura pulmonibus annexa est, quo in casu etiam materies cocta facilius in pulmones ruere potest, illa vero libera, si suppuratio oboritur, facilius empyema sequitur (*v.* DIEMERBROECK *Anatom. Ed. Lugd. 1683. p. 313.* BONET. *l. c. L. 2. S. 4. obs. 30*), quamvis & hoc per absorptionis modum sputorum ope eliminari potest (*v. Cl.* LENTINI *Observ. F. 2. Obs. 23*).

10. INFLAMMATIO MEDIASTINI.

An pleuritis dorsalis HIPPOCRATIS? (*v. de morb. L. 3. p. 110. Ed. van der Linden.* HUXHAM *l. c. T. I. p. 336. & T. II. p. 215.* SAUVAGES *l. c. T. II. p. 451.* BONET *l. c. L. 2. S. 4. Obs. 2, 27.* WENDT *l. c. diss. cit. p. 21*).

Dolor sub scapula punctorius, usque ad sternum protendens. Gravitas pectoris. Spirandi difficultas. Tussis sicca.

11. INFLAMMATIO PERICARDII.

v. BONET *l. c. S. 4. Obs. 29.* HUXHAM *l. c. T. II. p. 215. Pleuritis Pericardii* SAUVAGES *l. c. T. II. P. I. p. 452.*

Dolor punctorius ac gravitas in pectoris parte profundiore. Anxietas. Palpitatio cordis. Perpetua ad tussiendum proclivitas.

Haud raro accidit, ut plurium partium inflammationes simul coexistunt, pro cujus complicationis diversitate alia atque alia phænomena adparent, quorum determinatio sat difficilis est.

12. INFLAMMATIO DIAPHRAGMATIS.

v. BONET *l. c. L. 2. S. 4. Obs. 19.* HUXHAM *T. I. p. 301. & Tom. II. p. 215. Cl.* EBELING *diss. de inflam. Diaphr. Gætt. 1771. p. 22.* COE *Treatise on biliary concretions, or stones in the Gall-Bladder, and Ducts, London 1757. p. 29.*

Dolor punctorius ab inferioribus costis versus ultimas dorsi vertebras protendens. Spiritus brevis, interruptus, singultuosus. Anxietas, Inquietudo. Tussis sicca. Hypochon-

driorum latus adfectum introrsum & sursum versus costas trahitur. Risus sardonius. Delitia.

Hunc morbum semper cum deliriis continuis conjunctum esse, medici non pauci crediderunt, ideoque ei paraphrenitidis nomen imposuerunt. Haud quidem negari potest, hoc sympt ma huic morbo nonunquam adesse (*v.* HAEN *l. c. T. I. p. 84.* VOGEL *l. c. p. 45.* §. *61.*), sed totidem observatio docuit, illud deesse, neque essentialiter huic morbo competere, (*v.* MORGAGNI *l. c. Epist. 7. Art. 14.* BONET *l. c. T. I. L. 1. S. 7. Obs. 1.* WILLIS. *de anim. brut. C. 10. p. 257. de* HAEN *l. c. P. IX. C. 1. §. 5. & C. 2. §. 7.* CLEGHORN *Observ. on the epidemical diseases in Minorca p. 248.* VOGEL *l. c.* SARCONE *l. c. T. I. p. 245.* WENDT *diss. cit. p. 30.* FEIN *diss. de Indole ac sede phrenit. et paraphr. Gœtt. 1765. §. 18.* EBELING *diss. cit. p. 33.* CULLEN *l. c. p. 221.*). Sed pro vario, quem inflammatio occupat, loco, varia deprehenduntur symptomata. Hinc jure meritoque concludere licet, hoc symptoma huic morbo eodem modo sicut reliquis inflammationibus accedere posse, quamvis ex partis peculiari conditione facilius, quam cæteris partibus inflammatis superveniat. Hinc naturæ ratione a pleuritide proxime abest, neque veræ phrenitidis præ se fert ingenium, quippe quæ absque omni diaphragmatis inflammatione occurrit, (*v.* SARCONE *l. c. T. II. p. 145, & T. III. p. 588*). Descripsit quidem HIPPOCRATES (*L. 3. de morb. S. 9.*) phrenitidem, ubi αἱ φρένες ita dolerent, ut tactum non ferant. Ast non videtur, HIPPOCRATEM hic diaphragmatis inflammationem intellexisse, dum morbum hunc peripneumo-

niæ affinem atque sursum materiam educendam esse, præcipit. Ex terminorum tandem apud alios auctores sensu ulterius dijudicari poterit, an paraphrenitidis nomen morbo nostro congruat. Phrenitidis nomine ea insania priscis medicis venit, quæ continua, acuta & in febre est (*v.* CELSUS *l. c. L. 3. C. 18. p. 148. Ed. Almel.*). Paraphrenitidis autem terminum ei dementiæ febrili affigunt, quæ quidem continue, minori tamen vehementia adfligit (*v.* BRENDEL *diss. de paraphrenitidis & febr. malign. cognat.* §. 1. 2. *Cl.* FEIN *diss. cit.* §. 4). Quando nunc talis paraphrenitis ex longe aliis caufis evenire potest, sicut ad febres putridas, biliosas & nervosas, absque ulla, manifesta saltim, particulari inflammatione haud raro accedit, hæc vox diaphragmatis inflammationi specialiter atque exclusive tribui non debet, quamvis quidem flatus ille accedere possit, qui paraphrenitidem modo determinatam denotat; qui autem in omnibus reliquis inflammationibus eodem jure (quando adest, & sæpe adesse, modo dictum fuit), hoc termino insigniendus est. Cæterum hujus paraphrenitidis vocis mentionem HIPPOCRATES ipse nunquam fecit, notante jam HUXHAMO (*l. c. T. I. p. 337.*), neque, cum a phrenitide gradu tantum differat, utilitate conservatur. Hinc verbum hocce absque damno ex practico systemate relegari potest, quoniam alias, si hanc denominationis rationem sequi vellemus, praxeos terminologia infinita foret, quum tot morborum varietates existant, quot individua. Si necesse quis judicat, ut nomen ponatur, analogiæ ratione optime Diaphragmatitis morbus noster dici potest.

13. INFLAMMATIO PULMONUM.

Peripneumonia HIPPOCRATIS (*de morb. L.* 3. *C.* 16). *Peripneumonia pura* SAUVAGES (*l. c. p.* 496). SARCONE *l. c. T. I.* §. 200.

Dolor obtufus, quafi pectus comprimens. Refpiratio brevis, æqualis, & plerumque auribus percipi poteft. Spiritus calidus. Anxietas. Pulfus mollis, undofus (*a*). Rubor genarum. In affecto latere ægri plerumque commodius quiefcunt. Sanguis, ex vena detractus, fpumefcens. Tuffis. Dolores capitis, qui tuffiendo augentur. Secundo aut tertio die fputa, ftriis fanguineis intertexta, (cruda) fexto vel feptimo die flavefcentia, (cocta) morbum levantia.

(*a*) Obfervarunt hanc pulfus mollitiem GALENUS (*de cauf. pulf. l.* 4.). FORESTUS (*l. c.* L. 16. *Obf.* 44. *in fchol.*) BAGLIVI (*l. c. p.* 144.). Quod autem hæc pulfus modificatio pulmonum inflammationi non adeo conftanter competat, notarunt MORGAGNI (*l. c. Epift.* 20. *N* 10.) *de* HAEN (*l. c. T.* 9. *C.* 2. §. 9. & *T. XI. C* 2. § 2. *p.* 109.) & SARCONE (*l. c. T. I. p.* 194.) ut ideo effentialem & perpetuum peripneumoniæ characterem haud præbeat, quamvis, uti jam fupra monui, tunc bronchiorum forfan inflammatio adeft, quæ fitus ratione alium morbum conftituit, cui anginæ pectoris nomen dedi.

tia (*b*). Lingua ex flavo ruffa posteaque nigrescens (*c*).

Curationis ratio hujus febrium inflammatoriarum speciei, generali, ficut reliquae, respondet. Sectio nempe venae jugularis summo fructu h c adhibetur (*v.* SARCONE *l. c. T. II. p.* 200). Nec minus vesicatoria, ad latus adfectum applicata, utilitatem, supra memoratam, praestant (*v.* SARCONE *l. c. p.* 199). Quum autem nonnunquam tota thoracis regio doleat, nec certitudine locus peculiariter adfectus determinari potest, quum porro videatur, ut quandoque materies, quam sputorum ope nunc extricare natura molimina ciet, vesicatoriorum vi derivante, foras revehatur, atque ita haec naturae, ad morbum solvendum, tentamina suppeditantur, quum tandem ulcera aurium his morbis haud raro magnum ferant praesidium, melioris consilii est, vesicatoria pone aures adplicare, cujus commendatio etiam legi potest apud BORDEU *l. c. p.* 169. *seq.* Praeter haec, pulmonum inflammatio peculiaria adhuc remedia ad sputa promovenda sibi vindicat, quorum tamen munus generali medendi ratione plerumque absolvitur, quamvis negari nequit, resolventia nonnulla specifica quadam ratione pulmonum infarctui convenire, inter quorum numerum gummi ammoniacum in oximelite squillitico solutum, & sal ammoniacum cum sulphure antimonii aurato combinatum praecipuum tenent locum. Radicem senegae idem praestare, Cl. LENTINI (*Obs. med. F.* 2.

(*b*) WEBER *Opusc. semiol. p.* 84.

(*c*) Haec linguae sordities, ab ipsa pulmonum adfectione pendens, sedulo ab illa discernenda est, quae colluviem in primis viis sordium indicat, id quod ex praesentia vel absentia reliquorum hujus colluviei signorum dijudicari poterit.

Obs. 1. a) & HULME observationes docent (*vom Kindbetter. Fieber. p. 61. seq.*). Optime autem hanc spartam absolvunt emetica in parciori copia, ita, ut nec vomitum neque alvum moveant. Omnia autem hæc remedia fracta phlogosi tantum adhibenda sunt.

14. INFLAMMATIO PLEURÆ AC PULMONUM.

Pleuritis HIPPOCRATIS (*de morb. L.* 3). *Pleuritis humida* BOERHAVII (*Aphor.* 876). *Pleuroperipneumonia* HUXHAMI (*T. I. p.* 325 & *T. II. p.* 212 *seq.*).

Dolor lateris punctorius. Respiratio difficilis. Pectoris oppressio. Tussis. Sputa, initio striis sanguineis intertexta, postea flava (*a*).

Pro majori pulmonum vel pleuræ adfectione nunc pleuritidis nunc peripneumoniæ symptomata eminere, facile adparet, pro cujus differentia medendi quoque ratio diversa esse debet.

15. INFLAMMATIO HEPATIS.

(*a*) *Partis convexæ.*

Hepatis pleuritica SAUVAGES (*l. c. p.* 506) v. FOREST. *Obs. L.* 19. *Obs.* 7, 8. MURRAY *Commentat. de hepatitide maxime Indiæ orientalis. Gœtting.* 1779. CLARCK *Beobachtun-*

(*a*) WEBER *l. c. p.* 72.

gen über die Krankheiten auf langen Reisen nach heissen Gegenden &c. Copenhagen 1778 p. 184.

Dolor lateris dextri acutus, sub costis spuriis, diaphragmatis motu increscens, atque tunc ad humerum adscendens. Pulsus durus, spasmodicus. Tussis sicca. Inspiratio difficilis. Exspiratio facilior. Haud raro tumor externus.

Hæc hepatis adfectio ea est, quæ plerumque febris inflammatoriæ genium conservat, quæque crisibus a GALENO indigitatis (*de crisib. L. 3. C. 3.*) solvitur, hæmorrhagiis nempe ex dextra nare atque sudoribus utilibus & urinis copiosis. Crediderunt auctores nonnulli, hanc hepatis inflammationem mere erysipelaceam vel rheumaticam esse (v. HOFFMANN. *Opp. Ed. Genev. T. II. S. 2. C. 7. §. 4. et* BIANCHI *hist. hep. T. I. p. 426*). Quodsi hoc termino superficialem tantum inflammationem insigniant, illum etiam huic hepatis inflammationi tribui posse, quisque largietur. Si autem peculiarem atque a phlegmone diversam indolem erysipelati adscribunt, hujus termini usum, hoc in respectu, admittere nequeo, quum nec rationi neque experientiæ contrarietur, quod hepatis superficiei inflammatio maxima cum pleuritide gaudeat affinitate, quamvis raro etiam accidat, ut materia rheumatica vel erysipelacea hepatis inflammationem producat. Medendi hinc ratio hujus inflammationum speciei, generali respondet. Vesicatoria loco adfecto applicata eximio fructu PRINGLE in usum traxit (*l. c. p. 146.*), & venarum hæ-

morrhoidalium aperturam hirudinum ope suadet SARCONE (*l. c. T. I. p.* 248). Resolutionis scopo in India mercurialia eximio cum fructu adhibentur (*v.* MURRAY *l. c.*).

(*b*) *Partis concavæ*.

v. SWIETEN *l. c.* C. 3. *p.* 83.

Dolor præcedenti mitior & gravativus. Pulsus mollis. Symptomata icterica.

Hæc est, quæ notante GALENO (*l. c.*) excrementis alvi biliosis atque sudoribus nonnunquam etiam & vomitibus judicatur. An ergo majori jure ad febres biliosas referenda? Plerumque saltim atque frequentius in febribus biliosis occurrere varii auctores observarunt; quorum loca allegavit *Cl.* WIENHOLT *l. c. p.* 18.

(*c*) *Cystitis felleæ*.

Hepatis cystica SAUVAGES *l. c. p.* 507.

16. INFLAMMATIO LIENIS.

v. FOREST. *l. c. L.* 20. *Obs.* 5. *Splenitis* SAUVAGES *l. c. p.* 509.

Dolor & tumor hypocondrii sinistri.

17. INFLAMMATIO CORDIS.

Carditis SAUVAGES *l. c. p.* 482. MECKEL

Obſ. in act. Berol. 1756. SENAC *Malad. du Coeur C. 6. 7.*

Dolor punctorius ſub ſterno. Palpitatio cordis & anxietates continuæ. Pulſus parvus, inæqualis. Calor exiguus.

18. INFLAMMATIO RENUM.

a. *Nephritis vera* SAUVAGES *l. c. p. 510.*

Febri dolor ſupervenit pungens; in regione lumbari, quandoque ad ſpinæ dorſi latus procedens. Mictio turbata. Urina pauca, rufa, vel, in magno dolore, pallida. Obſtructio alvi. Teneſmus. Vomitio.

b. *Nephritis calculoſa* SAUVAGES *l. c.* CELS. *L. 2. C. 7. p. 60, 61. Ed. Alm.*

Dolor, per exercitium vel commotionem pertinacius revertens. Urina cruenta, quandoque arenuloſa. Stupor cruris. Teſtis retractio. Febris dolori ſupervenit.

Quamvis hæc nephritidis ſpecies ab indole vera inflammatoria haud parum cauſæ materialis ratione diſcedat, fieri tamen poteſt, ut febris a calculo accenſa, naturam febris inflammatoriæ præ ſe ferat, ſi reliqua, huic febri anſam præbentia, ſimul adſunt, & præter medicamenta calculum ſolventia, generalem methodum antiphlogiſticam, veſicatoriis exceptis, ſibi vindicet.

19. INFLAMMATIO VESICÆ URINARIÆ.

Cyſtitis SAUVAGES *l. c. p. 475.*

Dolor & tumor ovalis in regione pubis. Mictio dolens. Teneſmus. Alvi obſtructio.

20. INFLAMMATIO UTERI.

Metritis SAUVAGES *l. c. p. 466.* TIMERMANNI & BOETCHERI *diſſ. de inflam. uteri. Rintel. 1761.* HULME *von dem Kindbetterinnenfieber. Lipſ. 1772. p. 15 ſeq.* LEAKE *on Child-bed fever. B. 78.* SELLE *Beitraege zur Natur-und Arzeneiwiſſenſch. P. 2. p. 50.*

Senſus doloris, ardoris & gravitatis in pelvi. Tumor in regione pubis dolens, fundo uteri inflammato. Os uteri ad contactum dolens, durum, clauſum ac retractum. Stranguria & teneſmus, quando inflammatio magis ad cervicem protendit. Obſtructio alvi. Vomitio. Capitis & mammarum dolor. Menſtruorum vel lochiorum ſuppreſſio, vel eorundem putrida depravatio.

Hæc febris ab omnibus fere auctoribus febris puerperarum nomine inſignita eſt, atque hanc ſemper uteri inflammationem pro cauſa agnoſcere, crediderunt. Quod autem hæc uteri adfectio in puerperarum febre haud ſemper cauſam conſtituat, optime jam adnotaverunt

HULME (*l. c. p. 14. seq.*) & HOME (*clinische Versuche p. 84.*) v. infra febrim puerperarum. Oritur enim hæc inflammatio plerumque a mechanica uteri læsione in partu, atque eo illæso rarissime occurrit (*v.* SELLE *Beyträge l. c.*). Ea inflammationis species, quæ hæmorrhagias uteri nimias sequitur, raro manifesta febri concomitata est, nec decursum acutum absolvit.

21. INFLAMMATIO VENTRICULI.

Gastritis legitima SAUVAGES *l. c. p. 469.* *de* HAEN *l. c. P. IX. C. I. §. 4.*

Dolor in ventriculo, magis sensibilis, si acre quid ingeritur, vel respiratur, aut regio epigastrica comprimitur. Conatus vomendi. Post ciborum vel medicamentorum ingestionem ipse vomitus. Alvi obstructio. Extremitatum frigus.

Hujus speciei signa pathognomonica, nec non indoles ejusdem inflammatoria haud raro satis ambigue dignoscuntur. Observavit enim HAENIUS (*l. c. & C.* 2. *§. 6.*) in ægro absentiam nauseæ & vomitus, quid! quod ciborum desiderium adesset, ubi tamen vera ventriculi inflammatio in secto cadavere obviam prodibat. Sic porro pulsus duritie & plenitudine plerumque caret, quæ alias inflammatoriis febribus propria est, cujus ratio v. apud WHYTT (*l. c. p. 241.*), ubi tum ex reliquis circumstantiis indicationes hauriri debent. De curandi ratione antiphlogistica, præcipue autem de ve-

ficatoriorum, ad locum adfectum, usu, v. PRINGLE (*l. c. p. 146 seq.*).

22. INFLAMMATIO INTESTINORUM.

(*a*) *Tenuium*.

Enteritis iliaca SAUVAGES *l. c. p. 463*. FOREST. *L. 21. Obs. 11.*

Dolores fixi circa umbilicum. Obstructio alvi. Vomitus post ciborum vel medicamentorum ingestionem. Respiratio brevis.

(*b*) *Crassorum*.

Enteritis colica SAUVAGES *l. c. p. 464.*

Dolor & gravitas lumborum. Obstructio alvi. Rarius vomitus.

Febris in intestinorum inflammatione quoad calorem & pulsum exigua est, quod sedulo attendi debet, ne serpens malum medici superet imperium.

23. INFLAMMATIO MESENTERII.

Enteritis mesenterica SAUVAGES *l. c. p. 465.*

Dolor circa regionem umbilicalem profundior, quam in tenuium intestinorum inflammatione.

24. INFLAMMATIO OMENTI.

Epiploites vera SAUVAGES *l. c. p. 474.*

Dolor in superiori & media abdominis regione. Tumor plerumque externe deprehenditur.

25. INFLAMMATIO CEREBRI.

Οἴδημα ἐγκεφάλε HIPPOCRATIS (*de morb. L. 3. C. 1.*) FOREST. (*l. c. L. 9. Obs. 54. Schol.*) *Cephalitis spontanea* SAUVAGES (*l. c. p. 479*). *Coups de Soleil* TISSOTI (*Avis au peuple Ch. 10*). SELLE (*Medic. clinic. Entzündung der Hirnhäute*).

Prægressa animi vehemens perturbatio. Læsio & concussio capitis. Gravitatis in capite sensus, cum dolore pulsatili. Rubor & magna oculorum sensilitas. Conatus vomendi. Vomitus æruginosi. Vigiliæ. Intumescentia capitis (*a*). Stupor. Delirium obscurum. Carpologia. Sopor.

(*a*) Hoc suppurationis esse signum, ex observationibus colligere licet, dum cadaverum sectiones, quas PRINGLIUS (*l. c. p. 300.*) instituit, sæpius suppurationem cerebri manifestarunt, intumescentia capitis ac stupore prægressis, id quod etiam cum illa morbi descriptione convenit,

Hujus febrium inflammatoriarum speciei facies iterum a generica valde discedit, quum febris quoad pulsum & calorem periculum portendere haud videatur, quod tamen, ob loci conditionem, pertimescendum est; de qua pulsus ratione, v. WHYTT *l. c. p. 241.* Quod autem medelæ ratione febribus inflammatoriis adnumeranda sit, ex ipsis HIPPOCRATIS libris patet, qui venæ sectionem & medicamenta antiphlogistica suadet, atque vinum prohibet. Verique simile est, illum morbum, quem TISSOT (*l. c.*) *Coups de soleil* nuncupat, cerebri inflammationem pro sua agnoscere causa, quo pari modo methodum antiphlogisticam commendat. HOME (*Medical facts and Exper. p. 184.*) ipse probabiliter inflammatione cerebri correptus fuit, ubi febris, lentæ nervosæ similis, adfuit, & tamen curationem antiphlogisticam adhibuit. In omnibus his morbis autem fallacia non semper evitari potest, dum hæc cerebri inflammatio, quæ plerumque in menyngibus originem ducit, signis certis destituta est. Hinc veram cerebri inflammationem adesse, tunc tantum secure dici potest, quando morbus læsionem atque commotionem capitis sequitur. Et hoc in casu, quamvis pulsus raro duritie inflammatoria adpareat, tamen methodus antiphlogistica in toto suo ambitu locum habet. Sic etiam statim ab initio fomentationes frigidæ & vesicatoria ad caput adhibenda sunt.

Longe nunc alia quæstio est, an hæc febris phrenitidis nomen, quo nempe plerisque auctoribus venit, mereatur. Et hoc quidem menti HIPPOCRATIS respondere, haud videtur. Nunquam enim in phrenitidis de-

quam HIPPOCRATES (*de morb. L.* 3. *C.* 4.) sub nomine cerebri sphacelismi exposuit, quippe qui nil aliud est, quam ipsa cerebri suppuratio. De quibus etiam conferri possunt BONET. *l. c. L.* 1. *S.* 3. *Obs.* 31, 33, 34. & FOREST *l. c. L.* 10. *Obs.* 2.

scriptione cerebri inflammationem accusavit, nec versa ratione verbo quodam, dum cerebri inflammationis descriptionem dedit, phrenitidis termini mentionem fecit, quippe quo omnem insaniam continuam, in quacunque febri occurrentem, insignivit (*v.* CELS. *L. 3. C. 18*). Ergo inde hoc saltim jam sequitur, ut morbo nostro phrenitidis nomen exclusive haud competat, quum nemo in dubium vocaverit, hoc phænomenon multis etiam aliis febribus, natura & indole ab invicem longe diversis, sub certis quibusdam circumstantiis solemne esse. Cadaverum tandem sectiones, quibus institutis, sæpius inflammationes cerebri, absque prægresso delirio (*v.* WILLIS *de Anim. brut. P. 2. C. 10. p. 257.* BONET *l. c. L. 1. S. 7. Obs. 1.* SARCONE *l. c. T. 2. p. 23*), & vice versa in vere phreniticis ne vestigium quidem cerebri vel menyngum inflammationis signorum repertum fuit (*v.* BONET *l. c. L. 1. S. 7. Obs. 13. 16.* WEPFER *de Apoplex. p. 435.* MORGAGNI *l. c. Epist. 7. Art. 2. 3. 4. 6. 8.* qui adhuc alios auctores allegat, quibus haud raro nullam inflammationem in cerebro, phrenitide prægressa, videre contigit), satis evincunt, quod, si unquam cerebri inflammatio pro phrenitidis causa habenda, nunquam tamen ab uno ad alterum secura conclusio formanda sit. Neque ex statu post mortem reperto, absque alio respectu, argumentari licet (*cf.* WILLIS *l. c. C. 10. p. 258.* BONET *l. c. P. I. L. 1. S. 6. Obs. 1, 13.* SCHRÖDERI & FEINII *diss. de Indole ac sede phrenitidis &c.* VOGEL *l. c. §. 60.* SARCONE *l. c. T. II. p. 229*). Postulat hinc rerum ordo, ut ambigua hæc vox, nisi ex toto relegetur, ad febrim nostram saltim peculiariter insigniendam haud adhibeatur, quum multis aliis febribus eodem jure eademque ex ratione tribui possit.

(2) ERYSIPELAS.

INFLAMMATIO in ſumma cute late ſerpens. Calor acris. Rubor roſeus.

An hæc inflammationis prophaſis a phlegmone natura diſtincta? Ita videtur. Plerumque enim ex acrimonia quadam humorum, conſtitutioni inflammatoriæ proprie haud congrua, ortum ducere, curationis ratio atque analogia docent, quum eadem ab acribus venenis producatur. Ratione ergo hujus affectionis naturæ hic forte ſtricte non pertinet; febris autem, illam concomitantis, cauſæ, omnino hic referendam eſſe, experientia jubet. An autem eadem hæc diſcrepantia in inflammationibus internis locum habeat? Veteres quidem omnino ad hanc differentiam reſpexerunt, quamvis data, ad hoc probandum, evidentia ea non gaudeant, quæ concluſionem legitimare valeat.

1. de HAEN *Theſ. febr. diviſ. ſiſt. p.* 20. MONRO *on the diſeaſes of the army. p.* 245. VOGEL *l. c. p.* 192. SCHRÖDERI & ZIEGLER *diſſ. de febrib. eryſipel. p.* 46.

Inflammatio febri ſuperveniens, & facta inflammationis elevatione, febris eodem tenore perdurans.

Febris eryſipelatoſa a plerisque auctoribus febribus exanthematicis adnumerata fuit, nec id ut plurimum ſine ratione fieri, concedendum. Quodſi autem omnem

materiæ febrilis, ad locum quemdam peculiarem, depositionem, exanthematum nomine insignire velis, sane quæcunque fere phlegmone vel metastasis eodem jure illud mereatur. Hinc limites poni debent, qui ex majori vel minori hujus erysipelatis cum phlegmone cognatione, atque ex febris conditione determinandi erunt. Et hanc quidem deviationem experientia confirmat. Observarunt auctores, supra memorati, febrim erysipelatosam quandoque veræ phlegmonis speciem, phænomenis externis exceptis, præ se ferre, ideoque hanc morbi modificationem inflammationibus accensendam esse, putavi. Quod autem hæc febrium species generi nostro, curationis causa, inscribenda sit, ex iisdem auctoribus constat, quamvis omnino, velut modo monui, peculiare adhuc quid in hujus affectus causa materiali lateat, quod autem in curatione attendi nequit, dum in tenebris adhuc migrat. Pro varia, quam occupat, sede, variæ species poni possent, quod tamen, prolixitatis causa, hic omittere liceat. An morbus ille indicus, quem CARTHEUSER (*de morb. endem. p. 162*) Proctalgiæ nomine descripsit, hic pertineat?

3. RHEUMATISMUS.

Rheumatismus inflammatorius BALLONII (*v. Opp. Ed. Thevart. T. 4. C. de Rheumat.*). *Rheumatismus verus* SYDENHAMI (*Opp. Ed. Lugd. p. 272*). *Rheumatismus acutus* PRINGLII. (*l. c. p. 155*). MONRO (*l. c. p. 141*). BROCKLESBY (*l. c. p. 111. vel verf. p. 73*). *Rhumatisme avec fievre* TISSOTI (*Avis au peuple Ch. 11. §. 168*). *Synochus rheumatisans* SAUVAGES (*l. c. T. 2. p. 248*) *ejusdemque Rheumatismus calidus* (*l. c. T. III. P. I. p. 23.*) *cf.* SARCONE (*l. c. T. I. p. 83.*).

Dolor in partibus musculosis vel juncturis vel in utrisque, cum calore, rubore, & tumore.

Quanam peculiari indole hæc inflammationis modificatio a præcedentibus differat, adhuc sub judice lis est. Proh dolor! & hic commentatores, veterum descriptiones eorum morborum, quos hac voce tradiderunt, iis adplicandas esse æstimarunt, qui hodie eo termino nobis veniunt. Probarunt autem alii, inter quos BALLONIUS primus fuit, veteres sub rheumatismi nomine longe alium morbum intellexisse, cujus natura ab ea, qua rheumatismus noster acutus singulariter præditus

eſt, quam maxime abhorreat. Hinc priſcorum de hoc morbo dicta, eadem limitatione adplicanda ſunt, neque ex iis ad rheumatiſmi noſtri inflammatorii indolem valens quid concludi poteſt. Ex neotericorum ergo medicorum practica obſervatione natura hujus morbi determinanda erit. Et hac quidem conſtat, rheumatiſmos occurrere, qui veram naturam inflammatoriam conſervant, eundemque curandi modum requirunt. Differt tamen rheumatiſmus, a phlegmone & eryſipelate, ſitus ratione, minori vehementia indeque tardiori decurſu, & doloris diffuſione; nec probabilitate caret, etiam natura ab iis diſcedere. Differentiam quidem ſanguinis rheumatici conditionem inter & illam inflammatorii adnotavit SAUVAGES (*l. c. T. 3. P. I. p. 24*), quæ autem non ſemper deprehenditur, quum haud raro vera cruſta phlogiſtica ſanguini ſuperſit, atque morbi rheumatici chronici, natura, rheumatiſmo noſtro acuto haud adfines ſint (v. SYDENHAM. *Opp. Ed. Lugd. p. 273. & Ill.* STOERCK (*Ann. med. ſecund. p. 115.*) v. SWIETEN (*T. V. p. 651*). Sedes materiæ rheumaticæ haud raro in partibus membranaceis eſſe videtur, ac ratione earum inſenſilitatis idem valet, quod ſupra de pleuritide dictum eſt (*v. ſupra de pleur.*). De methodo huic morbo convenienti antiphlogiſtica v. BROCKLESBY *l. c.*

1. *Rheumatiſmus univerſalis.*

Rheumatiſmus vagus SYDENHAMI (*Opp. Ed. Gen. P. I. p. 170. Ed. Lugd. p. 273*). SCHRÖDERI & DUGEND *diſſ. de arthritide vaga §. 7, 13.*

2. *Rheumatismus in juncturis.*

Febris rheumatica arthritica STOERCKII (*Ann. med. secund. p. 114*). *Rheumatismus arthriticus* SAUVAGES (*T. 3. p. 25*).

Male auctores arthritidis nomen huic rheumatismi speciei imposuerunt. Nominis enim confusione res sæpe confunduntur, ideoque rheumatismus, in juncturis habitans, non satis bene ab arthritide distinguitur; quippe quæ longe aliam agnoscit causam materialem, totoque cœlo a rheumatismo differt. Eadem ergo differentia, quæ rheumatismi inflammatorii materiam inter & vere arthriticam vel podagricam observatur, etiam in nominibus ponenda est, ne ex nominis perversa adplicatione morborum natura confundatur, a cujus cognitione omnis fausta curatio pendet.

3. *Rheumatismus in lumbis.*

Lumbago rheumatica SYDENHAMI (*l. c.*) & SAUVAGES (*T. 3. p. 206*).

4. *Rheumatismus in coxa.*

Ischias rheumaticum SAUVAGES (*l. c. p. 216*).

5. *Rheumatismus in latere.*
Pleuritis spuria BOERHAVII (*Aph. 878*).

6. *Rheu-*

6. *Rheumatismus in hypochondrio dextro.*

Hepatitis spuria HOFFMANNI (*Opp. Ed. Genev. T. II. S. 2. C. 7. §. 4*). *Hepatitis muscularis* SAUVAGES (*T. II. P. 1. p. 507*).

Plures adhuc partium adfectiones colligi possent, nisi hæ pro norma sufficerent. Præcipue autem varios morbos ex rheumaticæ materiæ metastasi ad internas partes nobiliores oriri, observatione constat, qui huic rubricæ omni jure inscribendi sunt, quamvis phænomenorum facie diversi deprehendantur. Sic SARCONE (*l. c. T. II. p. 223.*) phrenitidem rheumaticam descripsit, cujus curandi ratio rheumatismi nostri curationi respondebat, & ita eadem materia rheumatica plures alios morbos mentitur, qui ad hoc morborum genus naturale referendi sunt.

Hæ sunt inflammationum differentiæ, quæ, naturæ ratione, medici attentionem merentur. Veri quidem simillimum est, plures adhuc existere. Sic inflammationes ex retropulsa exanthematum materie, diversa, a memoratis, natura esse videntur, attamen & tunc curationis ratio ex totius constitutionis conditione petenda erit. Sique COTUNNIO) *l. c. p. 97 seq.*) adsentire velimus, inflammationes, in febribus exanthematicis occurrentes, a materia exanthematica haud pendent, sed a consueta diathesi phlogistica producuntur, prout id saltim de inflammationibus, in febri variolosa obvenientibus, veritati satis simile reddidit. Hinc singularem sectionem inde conficere, magis fore subtile, quam utile existimavi.

K

(β) CUM CATARRHO.

RHUME TISSOTI (*Avis au peuple Ch. 7. §. 123.*) STOLL (*Rat. med. P. II. p. 4.*). GRANT. *l. c. p. 6.*

Dolor premens & tensivus. Extricatio materiæ serosæ, quæ primo alba & acris (cruda) conspicitur, tunc flavescit, crassior evadit, acredinem amittit (cocta), & morbum solvit.

Harum affectionum causa materialis pro omni probabilitate serum extravasatum atque acre redditum est, cui tum materia inflammatoria se adjungit, unde phlegmonis speciem simulantur, atque eundem medicandi modum postulant. Quid! quod BORDEV (*l. c.*) pulmonum vel faucium inflammationem semper ex parte materiæ catarrhali ortum debere, putat. Natura hanc materiem, catarrhum efficientem, proxime a materia rheumatica abesse, probabilitate non caret, & forte cum ea una est eademque, at pro loci tantum, ad quem deponitur, diversitate, differt. Rheumatismum, catarrhum, dysenteriam & erysipelas magna inter se affinitate hærere atque vernali tempore erysipelatis repulsionem catarrhum & autumno dysenteriam sequi, adfirmat GRANT (*l. c. p. 139, 142, 479.*). Hoc saltim extra omnem nunc dubitationem positum est, catarrhis haud raro curationem antiphlogisticam proficere, ideoque omni cum jure ad genus febrium inflammato-

tiarum tunc pertinent. Præcipue his morbis vesicatoriis consulitur, quæ acri sero exitum parare optime valent (*v.* BRUNING *hist. const. Epid. Essend. p.* 61).

1. CATARRHUS NARIUM.

Febris catarrhalis benigna Germanorum.

Dolor tensivus in fronte. Sternutatio. Stillicidium narium.

Causam proximam obstructionis canalis nasalis non stasin pituitæ, sed potius erethismum sphincteris ejusdem esse multis rationibus & experimentis probari studuit JANIN (*Mémoires & Observations &c. sur l' Oeil. Lyon & Paris* 1772. *p.* 104. *seq.*).

2. CATARRHUS PULMONUM.

An Erysipelas pulmonum HIPPOCRATIS? (*de morb. L.* 2. *S.* 53.) *Peripneumonia catarrhalis* HUXHAMI (*T. II. p.* 189.) & SAUVAGES (*T. II. p.* 500.) *Peripneumonia notha* SYDENHAMI (*Opp. Ed. Gen. C. I. p.* 167).

Sensus compressionis in pectore. Tussis initio sicca, postea humida. Anxietas. Dolores capitis vehementes. Vertigo. Respiratio læsa.

Differt ab inflammatione pulmonum, quod febris multo sit mitior, autumatque HAENIUS (*l. c. T. IX. C.* 2. §. 25.) huic pulmonum infarctui essentialiter pul-

sum illum mollem competere, quem alii perperam ad peripneumoniæ inflammatoriæ signa pathognomonica numerassent. SYDENHAM in descriptione hujus morbi refert, sanguinem inflammatorium fuisse, ac venæ sectionem magnum præstitisse auxilium, ideoque omnino hic pertinet. Valde autem ab hac peripneumonia nota differt illa, quam HUXHAMUS eodem nomine descripsit, de qua infra pluribus. De curationis ratione eadem valent, quæ supra, peripneumoniam ponendo, adnotavi.

(γ) CUM DYSENTERIA.

Febris dysenterica ZIMMERMANNI (*von der Ruhr &c. p. 326, 354, 368*).

Dolor capitis. Tensio & dolor abdominis. Tenesmus. Alvus frequens, pituitosa, cruenta.

Constat observatione TRILLERI (*Opp. med. T. 3.*) dysenteriam occurrere absque dolore, neque semper alui fluxus sanguinolentus est (v. WILLIS. *Pharm. rat. p. 46.* PRINGLE *l. c. p. 218*). Nonnunquam autem omnia hæc symptomata adsunt, & febris tantum caret (v. GESNER *Beob. &c. B. 1. C. 1.*). Hinc maxima sæpe in dubitatione hæremus, an morbus pro vera dysenteria aut pro diarrhœa tantum habendus sit, nec revera posteriori in passu, si nempe febris caret, vel saltim manifesta non est, discrimen inter binos interest, quum & in diarrhœa alvus cruenta haud raro deprehendatur. Quodsi itaque veram eamque manifestam differentiam dysenteriam inter & diarrhœam ponere velimus, ad febris coexistentiam simul respiciendum est. Fluxus ergo alvi, cum febri ita connexus, ut symptomatice ille ab hac, viceque versa, per totum morbi stadium pendeat, dysenteriam sistit. Hæc febris, quæ nonnunquam satis mitis est, ac in morbi declinatione ex crisium tantum conditione adparet, semper fluxus rationis partem continet, indeque in causa morbi indaganda, eique medendi methodo, maximam attentionem meretur. Longe autem diversæ indolis est, cujus

differentiam primo omnium optime ZIMMERMANN determinavit. Et quidem hanc febrim haud raro inflammatoriæ indolis esse, medendique modum antiphlogisticum requirere, experientia docuit. Observarunt etiam auctores, evacuantia in dysenteria non semper prodesse, ubi nempe biliosa colluvies vel pituitæ copia deest. Febris ergo inflammatoria cum dysenteria, ab hac febri, nec a colluvie quadam sordium pendente, illam speciem constituit, quæ hic ponenda est. Minus autem conditio illa particularis patet, qua fluxus hic alvinus proprie efficitur. Maxima enim gaudet probabilitate, causam inflammatoriarum febrium reliquarum materialem ad dysenteriam producendam haud sufficere, sed aliam adhuc accedere, cujus ratione dysenteria existit. Popularis equidem opinio fructuum horæorum usum accusat, sed horum apologia apud DEGNER, TISSOT, ZIMMERMANN & PRINGLE legi potest, quamvis negari nequit, eos quandoque inter remotas dysenteriæ causas militare (v. BÜCHNERI *diss. de singul. indor. dysent.* & BONT. *de medic. ind. L. 3. B. 3. p. 64*). Neque materialis causa inde constat. An natura catarrhus & dysenteria conveniunt? Pituitæ excretio, quæ sordibus primarum viarum ortum proximum non debet, id veritati simile reddit. Recentiorum nonnulli intestina ex rheumatismo tunc laborare perhibent (v. AKENSIDE *Tr. de dysent. p. 13, 21.*), & SARCONE inflammationem erysipelaceam intestinorum, dysenteria prægressa, vidit (*l. c. T. II. p. 142*). HUXHAMUS ait: „ Vix unquam utique datur dysenteria epidemica, ubi „ intestina non sunt aliquo saltem gradu, inflammata " (*l. c. T. I. p. 290*). Non autem hanc inflammatoriam conditionem materiali dysenteriæ causæ essentialiter competere, inde constat, quod citissime sæpe tollatur, ne-

que, per longum temporis ſpatium perdurans, ſuppurationem ſemper contrahat. Materia ergo pituitoſa acris pro omni probabilitate dyſentericam febrem accendit, neque inteſtinorum inflammatio ad cauſas, ſed potius ad morbi ſequelas numeranda eſt. Nec ſanguinis excretio ab eroſione produci poteſt, eadem ex ratione, qua inflammationi id denegatur. Obſervatio nos docet in hæmorrhoidario fluxu aliiſque ſanguinolentis, ſtaſes pituitæ adeſſe, atque analogiæ ratione idem hic ſupponi poteſt. Hinc proxima cum catarrho gaudet affinitate, & loci tantum ratione adfecti differt, atque de jure proxime ei adponitur. Et ſicut ſtaſeos inflammatoriæ quid in hoc nonnunquam opinari poteſt, ſic eadem forte ratione tale quid in dyſenteria ſupponitur.

Quod cæterum dyſenteria haud raro immoderatum fructuum uſum ſequatur, atque animalia ab herbarum recentium paſtu ſæpe fluxus alvinos contrahant, veriſſimum eſt; ſed haud minori certitudine conſtat, eam ſæpiſſime illos adoriri, qui nullos omnino fructus manducarunt. Conſtitutio morbi manifeſta epidemica eſt, & in äere cauſa primaria latere debet. Annon fructuum exhalationes illam præbent? Nonne vegetebabilia hoc tempore aliquid in ſinu fovent, quod ad dyſenteriam excitandam aptum ſit? Id ſaltim ex omnibus apertum eſt, ſemper miaſma quoddam epidemicæ dyſenteriæ conſtitutionis rationem continere. Et ſic febris epidemica eſſentialem dyſenteriæ characterem præbet, ita ut omnis alvifluxus torminoſa, frequens & cruenta mere pro diarrhœa habenda ſit.

(d) CUM EXENTHEMATIBUS.

PROTUBERANTIÆ & maculæ cutis, motibus febrilibus prorumpentes.

Caufa materialis exanthematum ab ea omnino differt, qua febris inflammatoria fimplex producitur, cum peculiare plerumque contagium, aut aliud vitium fupponunt, cujus ratione exiftunt. Quanam autem conditione peculiariter prædita atque ab omni alia totius morbi caufa diftincta fit, hucufque practicorum inquifitionem delufit. Neque mens eft, difputationes hic pertinentes recenfendi, quum ex cunctis fere tribus naturæ regnis contagionis rationem deducere voluerint. Legi meretur hac de re SARCONE introductio ad librum plus fimplice vice laudatum. Cum ergo contagii ratio in tenebris adhuc migret, neque a febri feparatim cogitari poffit, in praxi quoque attendi nequit. Quum porro in febribus exanthematicis fatis magna differentia, tam phænomenorum quam naturæ ratione, deprehendatur, quæ ab ipfo contagio non pendet, quippe quod, pro varia corporis conftitutione, varios edit effectus (v. MEAD *de Variol. Opp. Ed. Goett. p.* 20), ad febris concomitantis naturam potius, ut animum relevemus, utilitas jubet. Et hac ratione experientia docemur, exanthemata febrilia haud raro febris inflammatoriæ genium præ fe ferre, atque curationem, huic febri adaptatam, iis proficere. Neque miafmatis exanthematum ratione peculiare tractamen adhibendum eft, nifi quod, illis recedentibus atque partes nobiliores occupantibus, unde haud raro harum partium in-

flammationi ansam præbent, resolutionis via ad morbum tollendum apta non sit, sed balneorum (nisi opinio COTUNNII fundata sit, quod humiditas eruptionem, variolarum saltem, impediat (*v. de sede Variol. syntagma p. 136 seq.*), epispasticorum atque sudoriferorum ope pustulæ ad cutim revocandæ sint. Gaudet quidem quilibet morbus singulari differentia, cui ars nostra præsidia specialia suppeditat, sed nullum exinde argumentum differentiæ genericæ deduci potest. Sic etiam in febribus exanthematicis pro earundem speciali differentia artisque potentia curatio plus minusve a generali differt, sed inde hæ febres nondum generice differunt. Hinc fundamenti nostri lege, ratio facile stabit, qua, exanthemata febrilia generi febrium inflammatorio subordinare ac pro speciebus ponere, quæ alias apud auctores genus determinant, permotus sum.

I. PESTIS.

CHENOT *de Peste p. 63. 124.* GRANT (*neue Beobacht. &c. p. 114*). MERTENS (*Observ. med. de febr. putr. de pest. &c.*).

Tumores glandularum, qui perraro solvuntur, sed plerumque benignæ suppurationis ope correptos salvos reddunt.

Hanc pestis speciem CHENOT (*l. c.*) observavit, quæ ab aliis satis distincta est. Sunt enim hic calor æquabilis, pulsus fortis, sanguis inflammatorius, & methodus antiphlogistica magnum præstitit auxilium, quam adhuc commendarunt SYDENHAM (*p. 106 seq. Ed. Lugd.*) CHIGOYNEAU (*Traité de la peste p.*

370.) & HAEN (*l. c. P. XIV. p. 376*). Peculiare hic contagium adesse, omnes fere auctores conveniunt, cujus autem natura nobis plane ignota est (v. SYDENHAM *Cap. 2. Art. 7*). Dispositio semper manet, ac pluries contrahitur pestis (v. *Voyages litteraires de la Gréce par M. Guys T. 2. p. 131, 134*). An contagium Austro ex Aegypto advehatur, in dubium hodie vocatur (*v. Mém. de la soc. royal. de Médec. 1777, 1778, p. 303 seq.*). Neque äerem pestis contagii vehiculum esse, sed solo contactu corpus humanum ingredi, multis argumentis a morbi hujus teste oculari probatum est (v. SAMOILOVITZ *Abhandlung über die Pest zu Moscau. Leipz. 1785*). Neque specificum exstat remedium, quod singulari vi polleat, venenum pestilentiale destruendi. SCHREIBER quidem (*Observ. de Pestilent. p. 52*) mercurio dulci hanc virtutem attribuit, sed idem in peste de eo valere, quod de specifica variolis medendi virtute dicendum erit, verisimillimum est. Majori autem jure, eodem suadente auctore, camphora atque vesicatoria hic pertinent, quæ materiei ad cutim atque ad glandulas depositionem promovere valent (*v. l. c. p. 31, 64*). Magna autem gaudet probabilitate, quod pestiferum contagium præcipue in solida agat, ac tali quidem ratione, ut constitutionis conditioni haud respondeat, dum robustiores sæpissime majori periculo sint obnoxiæ. Ab hac ergo ad febris indolem conclusio non valet. Hinc semper in pestis curatione, quæ natura inflammatoria esse videtur, eo respiciendum erit, quod nempe nervi, occulto modo affecti, tantum virium conflictum non permittant, uti in reliquis speciebus febris inflammatoriæ fieri licet, quæ magnam existentiæ rationis partem robustæ constitutioni solidorum ac fluidorum debent.

Caute ergo, in venæ sectione instituenda, versandum est, ne virium prostratio inde contrahatur, id quod haud raro, observante CHICOYNEAU, factum est. Ipsis enim febribus, quæ pulsu pleno duroque incidebant, venæ sectio tantas interdum intulit noxas, ut statim animi deliquia, ea instituta, secuta sint (*v. Traité de la Peste P. I. p. 329*). Hæc species, benignitatis ratione, ab illa proxime abest, qua, absque ullis febricitationis signis, bubonum eruptio facta est, ac ægri durante morbo, in plateis absque damno versati sunt, vel si etiam nonnulla symptomata adfuerunt, tamen, peracta eruptione mox ea evanuerunt (*v. Traité de la Peste Spec. 5. p. 41*). An autem in hac specie inflammatoria etiam anthraces? Vel, num semper humorum dissolutionem supponunt? Quantum ex individuorum, peste correptorum, historia eruere licet, docere videtur, anthraces pesti, melioris indolis, haud adesse, sed plerumque putredinem bilis atque sanguinis sequi. Hinc in descriptione hujus speciei eos omisi. Occurrit, ut nonnunquam tam bubones quam anthraces careant, ubi tamen morbum pestilentialem esse, summa probabilitate suspicari licet. Hinc HAENIUS (*l. c. P. XIV.*) dolet, quod pestis definitio nulla sit; sed quinam, quæso, sunt morbi, qui veram definitionem, characteribus iis præditam, quos supra (*Introd. §. 4.*) postulavimus, admittunt, quæque simul omnes species naturales, comprehendat (*cf. Introd. §. 41.*)! Omnes quidem has pestis distinctiones SAMOILOVITZ *l. c. p. 90.* rejicit, eamque tantummodo gradu differre adfirmat, ex ipsa tamen ejusdem methodo curativa, perceptaque venæ sectionis utilitate (*p. 124*) pestis differentiæ naturalis existentia elucet. Congruit autem observationibus, has benigniores pestis species, in initio tantum et in fine epidemiæ occurrere.

2. VARIOLAE.

Variolae regulares SYDENHAMI (*Opp. Ed. Gen. T. I. p. 79*). *Variolae inflammatoriae* HUXHAMI (*Opp. T. II. p. 121, 127*). WINTRINGHAMI (*l. c. p. 236, 264.*) & ELLERI (*l. c. p. 135*). GATTI *Betracht. über die Inoculat. &c. p. 78.* GRANT *neve Beobacht. p. 114.*

Febris cum somnolentia, obstructione alvi, & doloribus colli pertriduum perdurans. Pulsus celer, mollis (*a*). Urina turbida, furfuracea (*b*). Tertio die adultis cum sudore, infantibus cum motibus epilepticis fit eruptio pustularum, morsu pulicum similium, quaeque in centro tuberculo rubro punctatae sunt. Apparent primo in facie, tunc in manibus & corpore, deinde in extremitatibus inferioribus (*c*). Febris

(*a*) COTUNN l. c. p. 223.

(*b*) v. CAMPER *Ammerk. über die Einimpf. d. Blattern. p. 106*, 122 *seq.* & COTUNN. l. c. p. 227.

(*c*) Hoc interim non ita constans est, quin quandoque discessionem ab hac norma observare contingat, cujus ratio tum in virium defectu, tum in febris vehementia quaeri potest. Observationem LENTINUS (*F. 2. Obs. 5.*) recenset, ubi pustulae in reliquis partibus corporis primum, in facie vero ultimum prodirent, & pustulae corporis sic-

nunc cessat (*d*). Sexto die pustulæ faciei pallescunt, & tumor sub palpebris oritur. Septimo die in centro & octavo in disco albescunt, circulis rubris circumductis. Nono die flavescunt. Decimo nitorem amittunt. Undecimo crusta formatur, quibus delapsis remanent in cute foveolæ. Duodecimo exarescunt, ac tumor evanescit. Suppuratio, tumor atque exsiccatio eundem ordinem sequuntur, quo eruptio succedebat.

cabantur, cum illæ faciei adhuc florerent. Quod ad variolas internas attinet, earum existentia a multis medicis in dubium trahitur, a non paucis, autem vere adfirmatur. Quodsi historica fides quid valeat, utrumque concedendum. COTUNNIUS quidem (*de sed. variol. syntagma p. 129. seq.*) iis tantum partibus variolas obvenire posse, probare annisus est, quæ libero aëris aggressui expositæ sunt, v. c. tracheæ, cui tamen experientia contraria est, quippe qua, etiam pulmones reliquaque viscera variolis obsessa fuisse, constat. Et quamvis a capitis mentisve adfectione conclusio ad variolarum ibidem factam eruptionem nulla sit, neque forte variolosum virus vera pustulatione hæc viscera obsideat, tamen alia ratione hoc venenum partes internas affici posse, probabile est. (*cf. Cl.* OTTO *diss. de concil. med. quoad var. int. dissent. Goett.* 1771. v. SWIETEN T. V. p. 140.).

(*d*) Quamvis variolæ regulares plerumque inflammatoria indole observentur, tamen, tum major hujus febris gradus, tum pustularum copia, symptomata magis urgent, atque febrim diutius protrahunt, quæ tunc sub secundariæ nomine venit, quæque nunc inflammatoriam naturam

Hæc febris haud raro veræ inflammatoriæ genium adoptat, atque veram medendi methodum antiphlogisticam postulat. Sanguinis conditionem in febris decursu plerumque ad diathesin phlogisticam vergere SWIETEN (*T. V. p. 45, 54*) jam adfirmat, sicut generatim methodum antiphlogisticam suadet, nisi febris maligna sit (*l. c. p. 64 seq.*). Sic etiam WINTRINGHAM (*l. c. p. 266.*) venæ sectionem hoc in statu quam maxime laudat. Acida mineralia eximia utilitate esse TISSOTI (*v. Epist. ad D. Hirtzel*) (*l. c. p. 232*) & omnium fere neotericorum observationibus constat. Vesicatoriorum usum ante eruptionem præter alios præcipue COTUNNIUS (*l. c. p. 235.*) & BRÜNING (*Constit. epid. essend. p. 61.*) commendant. Regimen temperatum ab insitionis cultoribus fausto eventu adhibitum fuit; & COTUNNIUS (*l. c. p. 142.*) illud ideo proficuum esse credit, quoniam cutis vasa robur inde contrahunt, quod eruptioni favet, atque eadem ex ratione omnia humectantia externa sedulo dissuadet (*l. c. p. 139*). Laudant quoque auctores memorati in eruptionis stadio laxantia. Haud rite autem statum inflammatorium simplicem ab illo distinxerunt, cui simul colluvies primarum viarum corrupta deprehenditur conjuncta. In priori casu, purgantia, quæ posteriori optime congruunt, vires debilitant, quarum sustentatio primum tamen inter regulas practicas, occupat locum. Hinc differentia hæc sedulo observanda. Minus autem ad praxin divisio illa spectat, qua auctores faciem pustularum discretam & confluentem distinxerunt. Occurrunt enim in febri variolosa, tam inflammatoriæ quam putridæ indolis, nunc pustulæ discretæ

exuit, ideoque peculiare tractamen sibi vindicat, præcipue incipiente pustularum exarescentia, quando ex puris resorbtione putride humores resolvuntur.

nunc confluentes, nec ex una vel altera ſpecie ad variolarum naturam, exindeque ad praxin certi quid concludere licet. Neque ſemper gradum morbi determinant, dum variolæ dantur confluentes valde mites, & e contrario diſcretæ, periculoſiſſimæ indolis, (v. MEAD *Opp. de Variol. p. 26.* ELLER *de cogn. & cur. morb. ac. p. 239*). Sed alia, in ipſo decurſu morbi varioloſi inflammatoriæ indolis, differentia obſervanda eſt, quæ in curatione maximam meretur attentionem. Valent nempe ea, quæ hactenus de medelæ ratione retuli, de ſtadio tantum variolarum eruptionis. Longe autem alia natura est febris eſt, quæ in ſuppuratione atque initio exareſcentiæ haud raro accedit, quæque ſub vera febris putridæ prophaſi adparet. Competunt ideoque huic morbi ſtadio præprimis laxantia, quorum uſum primo commendationi MEADII atque FREINDII debetur (v. MEAD *l. c. p. 19.* FREIND *de purg. in febr. ſecund. var. p. 24.*), quos poſtea omnes fere medici ſecuti ſunt (*cf.* COTUNN. *l. c. p. 247*). Neque minori in hoc morbi ſtadio utilitate veſicatoria deprehenduntur, quippe quæ viam ſternunt, qua pus exire poteſt (v. COTUNN. *l. c. p. 235*). Ob putridam tandem febris indolem acidum vitriolicum ſummum ſiſtit medicamentum, quod hoc tempore largiori copia, quam in febri eruptionis propinari debet (v. COTUNN. *l. c.*). Peculiarem attentionem in hoc ſtadio ſalivatio meretur, quæ adultos haud raro adoritur. Credit quidem COTUNNIUS (*l. c. p. 14.*), hanc, ob puſtularum in pharinge & ore irritationem, oriri, cui ſententiæ tamen obſervatio contraria eſt, qua, eam nonnunquam quodammodo criticam eſſe, conſtat (v. WEBER *Opuſc. ſemiolog. p. 45*). Haud abſque ſaltim periculo ſupprimitur, quid! quod, omnibus fere practicis conſentientibus, gargariſmatibus ac

resolventibus promoveri debeat. Videtur quidem, ut quandoque a sordibus primarum viarum pendeat, quum, mox in initio, purgatis primis viis, rarius adpareat, attamen nondum extra dubium est, annon alias adhuc agnoscat causas. HUXHAM (*l. c. T. I. p.* 225.) tempestivam pone aures epispasticorum adplicationem ad illam praecavendam suadet. Omnino quidem haec febris secundaria, vel ut alii malunt, tertia, generi nostro inflammatorio haud respondet, neque exinde hic pertinet, sed peculiarem morbum, fundamenti nostri lege, sistit, qui ad aliam rubricam referendus est. Idque monitu opus esse, credidi, ne egometipse, contra systematis regulas ordinasse, criminationem subeam. Neque de hac febri sermo est, quando de natura febris variolosae inflammatoriae loquor.

Quamvis nunc autem ex supra prolatis constet, variolas subinde generi inflammatorio proxime accedere, tamen peculiare quid adhuc adesse, quo facies, variolis propria, efficitur, negari nequit. Atque hoc neque intrinsecus natum, nec labe haereditaria genitum, sed peculiare contagium, foras admotum, esse, a plerisque medicis, optimo, uti quidem videtur, jure adfirmatur. Quamvis enim hic morbus saepius epidemice grassatur, tamen miasma in aëre genitum fuisse haud videtur, quoniam totidem sporadice saevit, & SWIETENIO observante (*T. V. p. 4.*) urbs saepe immunis fuit, dum in vicinis pagis epidemicae regnabant variolae, & contra vicinos pagos immunes manere a morbo, licet in urbe frequentissimus observaretur. Magna adparentia est, aërem singulari modo corpus praedisponere, ita ut contagium eo facilius propagari ac evolui possit, sicut etiam diversa morbi indoles absque dubio multum ab aëre mutatur. Verisimile ergo non est, nostris in re-

gionibus

gionibus morbum variolosum absque contagio foras admoto ex earundem causarum concursu nasci posse, unde omnium primo originem traxit. Nullam porro variolarum miasma cum aliis morborum seminiis subit conjunctionem, veluti ex observationibus COTUNNII (*l. c. p.* 104.) & CAMPER (*l. c. p.* 24. *seq.*) constat. Hinc singulari subtilitate atque immutabilitate esse debet. Neque hoc contagium alia via eliminari potest, nisi pustulatione cutis (v. COTUNN. *l. c. p.* 224.), quamvis SWIETEN (*l. c. T. V. p.* 57.) contrarium habeat persuasum, & SYDENHAMUS etiam, contagium solo sudore e corpore eliminari posse, credat. Et tandem eodem modo in solida ruere, quo id in reliquis contagiis observatur, constat, dum in variolis defunctorum membris magnam flexilitatem atque laxitatem deprehendit COTUNNIUS (*l. c. p.* 224). Qu cunque autem natura venenum hoc variolosum præditum sit, sub omni tamen prophasi semper una eademque gaudere, neque ab eo morborum ipsorum differentiam in individuis pendere, magna probabilitate adsumi potest. Atque hinc inde specialiter id confirmatur, quod in genere supra de exanthematum ratione proposui. Consentit mecum hac in re COTUNNIUS, cujus verba hic in medium proferre liceat: „Quantum" ait, „proficitur in destructione morbi, variolas concomitantis, „tantum variolæ ipsæ sibi relictæ melius procedent. = „Itaque putrida febris, si variolis accesserit, ea curanda, quasi sola esset, suis præsidiis est; si peculiaris aliqua insignis inflammatio, ei similiter occurrendum: eademque cæterorum ratio est. Verbo demum dicam, singulorum, qui advenerint, morborum „curatio ita fere instituenda est in variolosis, uti in„stitueretur, si variolæ non adessent. In quo pruden-

L

„ tia multum & exercitatio valet" (*l. c. p. 241.* v. SWIETEN *T. V. p. 30*). Pro ratione ergo, quem accendit, morbi, curatio, exindeque natura diverſa eſt, & contagium inter remotas tantum morbi cauſas locum habere debet. Occurrunt quidem variolæ abſque ulla fere manifeſta febri, ubi tunc contagium omnino pro morbi cauſa materiali habendum eſſe, quis arbitrabitur, attamen ſemper ad phlogiſticam vel ad putridam, vel biliofam indolem morbum magis vel minus accedere, ſumma probabilitate ſuſpicari licet. Num autem peculiare detur variolarum antidotum? Mercurium dulcem nonnulli hac virtute imbutum eſſe crediderunt (v. SCHREIBER *de Peſte p. 47.*), quod autem alii jure in dubium vocant (v. HUXHAM *l. c. T. II. p. 226.* CAMPER. *l. c. p. 89.* v. SWIETEN *T. V. p. 58. ſeq.*). *Caſimir Medicus* corticem peruvianum pro hujus veneni antidoto dedit. Sed veriſſimum eſt, ad morbum avertendum nil niſi impeditam contagii communicationem ſupereſſe.

3. VARIOLÆ SPURIÆ.

Chicken-vel Swine-Pox Anglorum v. HEBERDEN, *Arzeneikundige Abhandl. v. d. Colleg. der Aerzte zu London. B. I. p. 333. Spitz-Wind-vel Waſſerpocken Germanorum.*

Febris mitis. Altero die poſt febris ingreſſum eruptio tubercularum rubrarum, quæ plerumque primo in dorſo obviam prodeunt, ſecundo die plerumque jam in ſuppurationem abeunt, aut poſt diſruptionem exſiccant. Nunc

dura atque acuminata, nunc mollia & superficialia sunt. Priori in casu puris species, altero humor aqueus in tuberculis continetur.

Hanc variolarum speciem a vera praecedenti essentialiter differre, dicitur, quoniam ab hac non liberat, & longe alium decursum observat. Sed mihi hinc inde nil aliud sequi videtur, quam quod hac leviori morbi specie dispositio illa ad contagium variolosum acceptandum & elaborandum non ita mutata fuerit, ut in posterum hoc virus vim suam morbificam haud amplius exsèrere queat. Quaerendum potius atque veris & indubitatis experientiae factis demonstrandum erit, quaenam sint prophases veneni variolosi sub omnibus aëris & corporis constitutionibus. Hujus quaestionis solutio non solum naturam morbi variolosi magis dilucidare, sed etiam ad eam litem aestimandam juvare valeret, quae semper adhuc movetur, num scilicet verus variolarum morbus bis adoriri possit?

Multa sunt, quae probabile reddunt, quod omnes variolarum species haud essentialiter sed gradu tantum ab invicem recedant, ita ut haec veneni modificatio a corporis tantum & aëris constitutione pendeat. Et quidem inter plures rationes sequentes hic in medium proferre liceat: (1) Experientia confirmatum est, ex materiae a variolis maxime malignis desumtae insitione saepe variolas benignissimas & vice versa produci. (2) In ipso variolarum verarum epidemiae cursu spuriae frequentius observantur. (3) Post veri veneni variolosi insitionem saepe pustulae in vulneris vicinia prodeunt, quae, nisi altera eruptio fit, a sequenti infectione ejusdemque effectu morboso haud liberant. (4) Idem saepe

L ij

in iis obfervatur, qui, vel hoc morbo jam laborarunt; aut difpofitione ad eum concipiendum carent, & tamen materiem infpirant vel cutis attactu abforbent. Puftulæ nempe prodeunt, abfque ulla febri, & eos, qui hunc morbum nondum fuperarunt, ab eo inde non liberant. Annon ergo in his cafibus difpofitio ad morbum concipiendum nunc defuit, quæ per univerfalem hujus veneni fermentationem nondum fublata eft, quæ tamen fub aliis circumftantiis prodire poteft? == Plura adhuc argumenta, quæ huic opinioni favent, apud SARCONE legi poffunt (*v. von den Kinderpocken &c. Goetting.* 1782. *St.* 84).

4. MORBILLI.

v. HUXHAM *l. c. T. I. p.* 265. ELLER *l. c. p.* 154. ROSEN VON ROSENSTEIN *von Kinderkrankheiten* 1768. *Ed.* MURRAY *p.* 222. *feq.*

Symptomata catarrhalia, quibus perdurantibus febris incidit. Tertio die eruptio papillularum fequitur, quæ variolis minus elevatæ, iisdem vero latiores funt. Pars intermedia faciei folito magis rubet. Eruptio febrim raro mitigat. Sexto die rubor faciei minuitur, atque papillulæ per cutis defquammationem feparantur (*a*).

(*a*) Puftulæ morbillofæ nonnunquam in fquammas non abeunt, fed infenfili modo, bono ægrorum habitu, eva-

Hæc exanthematum ſpecies, auctoribus memoratis teſtantibus, ſæpe febris inflammatoriæ natura gaudet. Sanguinem enim phlogiſticum viderunt ROSEN (*l. c.*), & SYDENHAM (*Opp. Ed. Lugd. p. 519.*) atque venæ ſectio tunc haud infelici ſucceſſu inſtituitur; quid! quod eruptionem miro modo promovere valet, quæ antea ob virium, a ſanguinis copia ortam, oppreſſionem impeditur (*cf. not. g. p. 97.* QUARIN *l. c. p. 103.* HOMK *diniſche Verſuche p. 108*). Sic etiam veſicatoria eximie commendat COTUNNIUS (*l. c. p. 239.*), quæ materiem, alias facile pulmones irruentem, ad cutim determinant. Commune enim ſymptoma hujus morbi eſt peripneumonia, quæ facile incidit, niſi ei venæ ſectione atque veſicatoriis ſumma cura occurratur. Peculiaris hujus morbi exanthematici cauſa materies quædam contagioſa eſt, nec in corpore progignitur (*cf.* ROSEN *l. c. p. 213*). Natura acrimoniæ ſcrophuloſæ proxime accedit. Sæpe enim, deſquammatione peracta, eruptiones herpeticas vidi. Hinc inde forte eroſiones explicandæ, quas haud raro in partibus nobilioribus Morbilli relinquunt.

5. RUBEOLAE.

v. SELLE *Medic. clinic. p. 115. Roſalia v. Hiſtor. morb. Vratisl. Ao. 1700. p. 185.*

neſcunt, id quod anno 1772 hic Berolini ſæpius obſervare mihi contigit. Idem SYDENHAM deprehendit (*v Opp. Ed. Lugd. p. 520.*). Singulare eſt phænomenon, quod puſtulæ non ſuppurent, & tamen, iis retrogreſſis metaſtaſis purulenta deprehendatur, quæ non ex partium continentium inflammatione & exulceratione oritur, ſed veræ metaſtaſeos purulentæ ſpeciem præ ſe fert (v. HOMK *clin. Verſuche p. 212*).

Angina. Pustulæ miliaribus similes, suppurantes, quibus exsiccatis epidermis solvitur, quæ in magna frustula abit. Subsequitur nonnunquam tumor cutis leucophlegmaticus.

Hic morbus in systematibus raro occurrit & a plerisque medicis cum morbillis & febri scarlatina confunditur. Hinc etiam SAUVAGES hanc differentiam neglexit (*v. l. c. T. 2. P. 2. p. 386*). Differt autem morbus noster a morbillis, quod febris nunquam cum symptomatibus coryzæ, sed semper cum angina incipiat, & pustularum majori elevatione & suppuratione. A scarlatina discedit, quod eruptio miliarium speciem præ se ferat, & cutis magnis in frustulis solvatur. Omnibus cæterum eadem curatio, par est. Tumori leucophlegmatico optime balneis tepidis medetur (*cf.* LENTIN *memorabil. circa aërem &c. Clausthal. p. 35*).

6. FEBRIS SCARLATINA.

v. SYDENHAM (*Opp. Ed. Gen. S. 6. C. 2. p. 162*). PLENCIZ (*Tr. de Scarlat. §. 3*). HAEN (*Rat. med. continuat. T. I. C. 7*). ROSEN (*l. c. p. 423*). WITHERING (*Sammlung für pract. Aerzte B. 5. St. 2*). BICKER (*ibid. B. 9. St. 1*).

Maculæ difformes, intense rubentes, latæ, facileque coalescentes. Cutis glabra, sicca. Rubor oculorum, æqualis, nitens, nec sen-

ſiles. Eruptioni præcedit angina (*a*). Maculæ per deſquammationem cutis furfuraceam ſolvuntur. Tumor cutis leucophlegmaticus.

7. FEBRIS URTICATA.

Scarlatina urticata SUVAGES (*l. c. p.* 426). *Febris urticata* VOGELII (*l. c. p.* 115).

Febris plerumque ephemera. Puſtulæ illis, ab urticæ punctura ortis, ſimiles, prurientes, albæ, circulis rubris circumductæ.

VOGELIO (*l. c.*) notante, hoc exanthema id ſingulare habet, quod in frigido magis emergat, & in calido evaneſcat.

8. ESSERA.

Eſſera VOGELII (*l. c. p.* 114). *Porcelaine* SAUVAGES (*l. c. p.* 427).

Maculæ latæ, diſcretæ, rubræ, ardentes ac prurientes. Cuticula a cute ſemota, nullo fluido interpoſito, exſiccant & fruſtulatim abeunt.

Febris ſcarlatina, urticata atque eſſera natura valde inter ſe convenire, videntur. Neque peculiare conta-

(*a*) Hæc tamen angina eſſentiale febris ſcarlatinæ ſymptoma haud conſtituit, dum ſine eo occurrat. (v. CULLEN *l. c. P.* 2. *p.* 78. BICKER. *l. c.*).

gium pro caufa agnofcunt, unde a præcedentibus differunt. Attamen fingularis quædam & ab indole caufæ materialis febrium inflammatoriarum generatim diverfa caufa corpori tunc pro omni probabilitate ineft, quæ tamen in curatione attentionem haud meretur. Neque hæc exanthemata ftudio proliciendа funt, fed debita curatione in ortu tolli debent.

9. FEBRIS ERYSIPELATOSA.

V. SYDENHAM (*Opp. Ed. Gen. p. 174.*) van SWIETEN (*Comment. II. p. 400*). ELLER (*l. c. p. 156*). QUARIN (*l. c. p. 110*). *Eryfipelas rofa* SAUVAGES (*l. c. p. 419*).

Macula rubra, fuperficialis, cutem in tumorem attollens, digito prementi cedens, & facile locum mutans (*a*). In vehementiore ftatu adfunt puftulæ, quafi ab apum inflictu ortæ, humorem limpidum continentes, qui poftea flavefcit. Crepant tunc puftulæ, cruftam efformant, & morbum tollunt.

Dubitat de ZIEGLER (*in diff. fub* SCHRÖDERI *præfid. de febr. eryfip. p. 14.*) an unquam febris mere inflammatoria cum eryfipelate conjuncta fit. Attamen

(*a*) Eryfipelas febrilis acuta plerumque faciem occupat, quum chronicum magis ad pedes ruat. Linguam femel tali eryfipelate vidi adortam. An autem eadem hæc exanthematum fpecies vifcera quoque adoriatur, ficut prifcorum nonnulli perhibeat, certitudine dici nequit.

speciem hic ponere, tam diu de jure esse, aestimavi, donec, ditiori experientia, extra dubium vera hujus morbi indoles determinari poterit.

10. Febris miliaris.

v. Sydenham (*Sched. monit. de nov. febr. ingress.*) Hoffmann (*Opp. Ed. Gen. T. 1. S. 1. C. 9*) Allioni (*de mil. nat. p. 39. §. 75*).

Sudoris proclivitas olidi. Tussis sicca. Anxietas. Dolor capitis. Sensilitas oculorum. Suspiria. Horrores vagi. Cutis abdominis dorsique pruritus. Pulsus tensus, duriusculus, inaequalis. Eruptio incerto tempore, atque rarissime critica (*a*). Pustulae morbillis magis elevatae, iisdem vero minores, cum corrugatione & ariditate cutis. Variolis similes, deficiente tantum circulo rubro (*b*). Sensim grandescunt, limpidoque sero implentur, cum ali-

(*a*) Miliaria nonnunquam critica esse, extra omnem dubitationem positum est. Et quidem hoc contigit, quando non nimia materiae copia atque ea jam cocta est (v. Pringle *l. c. Opp. p.* 103.). Brüning (*hist. const. epid. essend. in praef.*). An autem unquam in febri inflammatoria?

(*b*) Aeque periculosa miliaria alba ac rubra esse, haud raro observatur. Annon autem purpura febribus inflammatoriis magis competat, quam alba?

qua cutis inflammatione. Septimo plerumque die, æquali reddito pulsu, cum cuticulæ desquammatione exsiccantur.

Omnes fere auctores miliaribus maligni quid adscripserunt, id quod sane ex febris naturæ neglecta perscrutatione manavit. Ut in cæteris sic & hic maxima febrium differentia reperitur. „Varius hic morbus„ ait BRÜNING (*l. c. in præf.*) „pro diverso climate, diverso solo, diversa aëris temperie, diverso vitæ genere, hominumque natura, ubique, tam quoad ejus frequentiam, quam quoad ejus malignitatem &c. observatur. Idem in hoc morbi genere obtinet, quod in exanthematicis omnibus, aliisque morbis epidemice grassari solitis: ut quilibet fere locus, quælibet epidemia, singularia ostendat, ejusdem licet morbi, symptomata; ipsaque lues, pro varia individui, quod occupat, natura, maxime variet". Sæpius methodum antiphlogisticam, quam alii ob acidum in corpore latens diffuaserunt, prodesse, de HAEN (*l. c. P. I. p. 54.*) & ALLIONI (*l. c. p. 99. §. 191. et 67. C. 10.*) observarunt. Sanguinem inflammatorium iidem auctores (v. HAEN *l. c. P. V. p. 4. 5. P. IX. p. 74*), ALLIONI (*l. c. p. 44. §. 85*), SAUVAGES (*l. c. p. 402.*) conspexerunt. Sæpe porro constitutiones robustæ miliaribus corripiuntur hyemis tempore (ALLIONI *l. c. p. 30, §. 61*). Frequentes tandem miliarium prophases inflammatoriæ, v. c. rheumatismum vel anginam mentientes, vel etiam hos morbos comitantes (v. ALLIONI *l. c. & Schulze von Schulzenheim Preisschrift vom Friesel p. 14.*), satis affinitatem hujus exanthematis, sub his nempe conditionibus, cum morbis inflammatoriis evincunt, & hujus miliarium

ſpeciei exiſtentiam probant. Sic etiam Ao. 1782 febres graſſatæ ſunt, eruptione miliari conjunctæ, ubi Venæ ſectionem nonnunquam ſummo fructu quater reiteravi, & ſanguis ſummam phlogiſticam denſitatem habuit. Idem eruptione jam peracta feci & nulla exanthematum retrogreſſio ſecuta eſt. Longe autem alia quæſtio eſt, an hæc exanthemata nil aliud, præter hanc diatheſin phlogiſticam, pro cauſa agnoſcant: de HAEN miliarium eruptionem ſemper perverſæ curationi attribuendam eſſe, adfirmat; neque negari poteſt, hanc nonnunquam, eadem ratione, veluti juſto calidiori regimine ac medela, inflammatoria febris in putridam mutatur, in cauſa eſſe. Non autem miliarium ratio ſemper hæc eſt. Sordes primarum viarum ſæpe miliarium cauſam eſſe, infra conſtabit, ſed tunc hic non pertinent, neque hæ unicam eorum cauſam ſiſtunt. Quod autem ex inflammatione partium magis ſenſilium, ortum nonnunquam ducant, BRÜNING præeunte WERLHOFFIO adfirmat, & hac ex ratione puerperis ita ſolemnia eſſe, probabilitate haud caret. Et hæc conditio hujus morbi eſſe videtur, quæ morbis inflammatoriis accenſenda eſt. Satis ſaltim hic nobis eſſe poteſt, quod morbi exanthemata concomitantis curatio antiphlogiſtica iiſdem miliaribus ſæpe quoque par ſit. Haud minori autem probabilitate adparet, hæc exanthemata in puerperio ſæpe a retropulſo lacte aut ab abundantia lymphæ, quando lactis ſecretio impedita eſt, oriri. Hæc quidem lactis deviatio plerumque a ſpaſmo in conſtitutione ſenſili producitur, ſicut morbus pro ſpaſmi natura diverſa itidem differt. Attamen & ſub hac conditione ſæpe methodum antiphlogiſticam adhibenda eſſe, experientia docet & jubet.

Num tandem ſpecies miliarium exiſtat, peculiare miaſma pro cauſa agnoſcens, nec alio niſi eruptionis modo eliminanda, haud adparet.

11. FEBRIS BULLOSA.

Pemphigus SAUVAGES (*l. c. p. 382*). VOGEL (*l. c. p. 116*).

Veſiculæ magnitudinis avellanæ, ſero flavo turgidæ, quibus ruptis, effuſoque ſero ſuccedunt amplæ maculæ atro-rubræ, cruſtis epidermidis nigricantibus circumdatæ.

Hoc exanthema in febribus vere inflammatoriis rariſſime obſervatur.

12. FEBRIS APHTHOSA.

Aphtha febrilis SAUVAGES (*l. c. p. 430*). VOGEL (*l. c. p. 118*).

Ulcuſcula exigua, rotunda, albicantia, partes internas oris & faucium occupantia, atque tenacem ac glutinoſum mucum emittentia, poſtea cruſtam, tenaciſſime adhærentem, atque fruſtulatim decidentem, formantia.

Hæc exanthemata febribus quibuſdam haud accidentaliter accedere, ſed proprium & conſtans nonnunquam febris epidemicæ ſymptoma eſſe, auctores memorati adfirmant. Iiſdem notantibus febris haud raro inflammatoriæ indolis eſt, atque venæ ſectio, reſolventia & veſicatoria ei proſunt. Hinc eam hic jure inſerendam

esse, existimavi. GRANT (*l. c. p. 330.*) aphthas cum dysenteria maxima gaudere affinitate, adfirmat.

13. FEBRIS PETECHIALIS.

Purpura benigna SAUVAGES (*l. c. p. 415*).

Maculæ rubræ, subrotundæ, pressione digiti non evanescentes. Prorumpunt incertis temporibus, rarissime, si unquam, sunt criticæ (*a*), & cæteris paribus absque damno, nisi cum fructu, evanescunt.

Apparent quandoque petechiæ, ubi nulla sanguinis putredo, sed e contrario diathesis inflammatoria deprehenditur (v. HAEN *l. c. P. IV. p. 218. P. V. p. 4. 5. P. IX. p. 74.* STRACK *de morb. cum petechiis C. 6. p. 130.* VOGEL *l. c. p. 109*). Quænam autem est causa peculiaris, quæ rationem horum exanthematum continet? Non enim a mera diathesi putrida pendere, ex his consequitur. An peculiare contagium? Haud videtur. MORGAGNI quidem febrim descripsit, in qua primo ejusdem grassantis tempore sanguis dissolutus, postea vero, perseverante eadem epidemia, nimis concretus adparuit, omnibus autem petechiæ adfuerunt (v. HAEN *l. c. P. IX. p. 75*). Distinguendum autem cau-

(*a*) Nonnunquam quodammodo criticas esse, adfirmat SARCONE l. c. T. 2. p. 116. T. 3. p. 145, 157. Sicut autem sub conditione inflammatoria cum euphoria adesse possunt, sic facile fallacia in reliquis speciebus esse potest. Quodsi hinc criseos speciem præ se ferant, certissime hoc in febribus inflammatoriæ indolis contingere, arridet.

ſam epidemicam inter atque contagioſam. Omnino enim miaſma epidemicum, petechiarum mox ſub morbi ingreſſu adparentium, rationem continere, inde patet, quod ſub hac conditione diaphoretica morbum cum petechiis ſimul ſolvant atque in ipſo ortu tollant. An ſemper acrimonia bilioſa in cauſa, adfirmante STRACKIO (*l. c.*)? Quamvis quidem epidemia, quam deſcripſit, hujus conditionis fuiſſe, negari nequeat, tamen univerſalis canon inde jam trahi nondum debet: de HAEN de his, ſicut de miliaribus obſervare credidit, pravæ medelæ originem debere, cui autem experientia SARCONE contraria eſt (*v. l. c. T. II. p. 110*). Et hic arti damnoſum fuit, unam ſtabilire cauſam, ubi plures earundem exiſtunt.

GENUS SECUNDUM CONTINENTIUM.

CONTINENS PUTRIDA.

Solida laxa (*a*). Humores justo tenuiores (*b*). Effluvia putrida tempore calido & ficco (*c*). Aër per longum temporis spatium inclusus, ac exhalationibus animantium inquinatus (*d*). Abusus carnium (*e*), & nimis ca-

(*a*) v. Huxham l. c. T. II. p. 41.

(*b*) l. c. p. 48.

(*c*) v. Langrish l. c. p. 349, 352. Pringle l. c. p. 79, 324. Wintringham l. c. p. 207. seq. & 317. quæst. 56. Quarin l. c. p. 39. Ad putredinem humorum producendam varii auctores, Boerhavio (*v. Elem. Chym. T. I. p. 183.*) præeunte, atmosphæram humidam & calidam præcipue aptam esse, crediderunt. Historias autem constitutionum epidemicarum pervolvens, illam singulari ratione viscera chylopoietica afficere, perspexi. Hinc potius ad remotas febrium gastricarum causas aër calidus & humidus referendus est. Idem in constitutione epidemica, quæ anno 1771 grassata est, observavi. cf. Præfat. ad vers. Brocklesby.

(*d*) v. Pringle l. c. P. III. C. 7. Brocklesby l. c. p. 37. Ludwig Adversar. Vol. 1. P. I. p. 33.

(*e*) v. Quarin l. c. p. 39. Salis communis abusus quidem inter causas putredinis numeratur, sed inde potius disso-

lidorum (*f*). Contagium (*g*). Sanguis floridus, laxiori & molliori contextu, quandoque foetidus ac saniosus (*h*), interdum cuticula, coloribus arquatis micanti, obtectus (*i*). Serum rubicundum (*k*). Cruor non secedens. Lingua initio alba, postea nigra atqua arida. Calor tactui mordax (*l*). Excreta valde foetida. Pulsus initio & vigore celer, duriusculus, postea obscurus, inaequalis. Prostratio virium

lutionem scorbuticam oriri, constat, quae a constitutione putrida febrili satis abhorret. Neque humorum dissolutio ex venenis hic pertinet, qua quidem haemorrhagiae lethales, non autem febres putridae efficiuntur.

(*f*) Hinc ex regimine calido & alexipharmaca medendi ratione febres inflammatoriae indolis haud raro in putridas vertuntur.

(*g*) Videtur, nonnunquam peculiare contagium adesse, quod fermenti instar humores dissolvit, dum contagiosae febres putridae saepe grassantur, ubi manifesta causa deprehendi nequit.

(*h*) v. FORESTUS l. c. L. 1. Obs. 14. & Obs. 17. in schol. & HUXHAM l. c. T. II. p. 57.

(*i*) Sanguis quandoque in superiori parte satis tenacem exhibet crustam, quae crustae inflammatoriae similitudinem aliquatenus refert, quaeque tamen ab ea satis distincta est, ratione coloris atque cruoris dissolutae faciei, v. Hist. morb. Uratisl. Ao. 1699. p. 99. HAEN l. c. T. I. p. 77. seq.

(*k*) HUXHAM T. II. p. 64.

(*l*) v. PRINGLE l. c. p. 293. HUXHAM T. III. p. 121.

virium (*m*). Oculorum imminutus ſplendor (*n*). Stupor (*o*) & tremores, qui remittente pulſu creſcunt. Pro re nata hæmorrhagiæ & excretiones ſanguinolentæ (*p*), vel petechiæ lividæ ſeu vibices accedunt (*q*). Oculi, dentes &

(*m*) Hunc virium languorem præcipue in iis febribus obſervare licet, quæ peculiare contagium pro cauſa agnoſcunt, de cujus ratione in ſcholio pluribus.

(*n*) Hic oculorum facies potius ad nervoſi ſyſtematis adfecti ſigna, ut pertineat, nec putredinis ſymptoma pediſſequum ſiſtat, veritati haud abſimile eſt, dum periculum portendit, atque iis præcipue febribus adeſt, quæ magna virium dejectione adparent.

(*o*) Hunc ſtuporem febrium putridarum pro ſigno pathognomonico tradit Brocklesby (*l. c. p.* 137).

(*p*) Huxham T. 2. C. V.

(*q*) Varii auctores petechiæ hic pro mere ſymptomaticis habuerunt, nec ſingularem illas febris putridæ ſpeciem conſtituere, autumarunt (v. River. *Prax. med. L.* 16. S. 3). Neque inficias quiſque iverit, gradum putredinis quemdam certe eas præcipue lividas indicare. Attamen differentiam inter has maculas adnotavit Ludwig (*in adverſ. V. I P. I. p.* 33.) quæ hic in conſpectum venire debet. Apparent nempe nonnunquam mox in initio maculæ irregulares, rubellæ, quæ petechiarum nomine ab auctoribus inſignitæ ſunt, ubi tanta humorum diſſolutio manifeſta non eſt, ut pro macularum cauſa haberi poſſet, ubi potius maculæ, ſi evaneſcunt, ad cauſas putredinis referendæ ſunt. Et hæ ſunt, quæ putredinis characteribus genericis adnumerari non debent. Maculæ autem lividæ atque in ultimo morbi tantum ſtadio accedentes, eas petechias ſiſtunt, quæ ad putredinis effectus pertinent. Hinc inter genericos characteres omni jure locum ſibi vindicant, quoniam putredinem ſequuntur.

labia fordibus obtecta, cum anima fœtida (r): Meteorismus (ſ).

Hæc febris putrida ſimplex ſæpe cum illa, quæ ex ſordium biliofarum primarum viarum colluviei putredine ortum trahit, confunditur. Indiſcriminatim enim auctores nonnulli in febribus putridis, quibus etiam febres biliofas adnumerant, evacuantia laudant, quæ tamen febribus noſtri generis haud competunt, de quibus nempe idem valet, quod ſupra generatim de continentibus propoſui. Ut febris continens inflammatoria, ſic & putrida continenter & abſque remiſſione ardens perraro obſervatur. Hinc multi auctores nullam aliam febrim putridam agnoſcunt, quam remittentem, fordibus primarum viarum conjunctam. Ut audem gradatio harum febrium melius determinari poſſit, duo puncta aſſumenda eſſe, exiſtimavi, cujus primo idea febris putridæ pure ſanguineæ, altero febris putridæ gaſtricæ notio affigenda ſit, quibus determinatis, modificationes harum febrium accuratius judicari poſſunt. Eſſentialis porro harum febrium differentia exſtat ratione cauſarum præcedentium. Febris putrida ſimplex abſque ullo contagio, abs nimis forſan tractamine calido, in febribus inflammatoriis perperam adhibito, orta, non tantis ſymptomatibus nervoſis eſt ſtipata, ſicut febres putridæ ex contagio. Sæpius enim febres varioloſas pu-

(r) Annon hæc phænomena febribus biliofis putridis excluſive competunt?

(ſ) Meteoriſmus ſæpiſſime in febribus biliofis adparet, ubi tunc ſordium, in inteſtinis hærentium, putredinem indicat, qua aer fixus liberatur. Num autem etiam ex ſola ſanguinis putrida diſſolutione oriatur? Haud videtur, niſi ſummus putredinis gradus etiam vaſa ſolvat.

tridas cum satis bono virium vigore, observare contigit. Dantur autem febres putridæ, quæ summa nervorum affectione, virium prostratione, pulsu obscuro &c. incidunt, & ex his sunt *febris carcerum* PRINGLII, *angina maligna* FOTHERGILLII &c. An hæ ad unum idemque genus referri possint? Haud videtur; difficile autem erit, limites hic determinandi. Magnam habet probabilitatem, quod contagium, vi quadam specifica præditum, primo in nervos agat, horumque functiones lædat. Hinc varii auctores malignitatis rationem in contagio posuerunt (v. ELLER *l. c. p.* 112. & NIETZKI *l. c.* §. 77. GRANT *Essay on the pestilential fever &c, London* 1775.), quæ tamen notio nimis angusta est. Quod autem contagium sæpe nervos irruat, magna satis auctoritate comprobari potest. Consentientes hic habeo WILLISIUM, qui (*in Pathol. cerebri p.* 66.), contagium quandoque liquorem nervosum sanguine prius inficere, adfirmat, unde mox in initio deliria & convulsiones, & WINTRINGHAM (*l. c. p.* 318, *quæst.* 57), qui putat, quod contagium, ob magnam sibique propriam volatilitatem subito in nervos agat. De putrido contagio peculiariter id confirmant PRINGLE (*l. c. P. III. C.* 4. §. 3.) & SARCONE (*l. c. T. II. p.* 208). Id saltim ex nonnullis, optimorum practicorum, observationibus constat, quod sanguinis putredo non semper pro causa proxima febris putridæ contagiosæ habenda sit, dum in initio sæpe atque haud raro in vigore febris, sanguis spissus, ac inflammatorius conspectus fuit (v. PRINGLE *l. c. p.* 291. HUXHAM *l. c. T. III. p.* 110. MONRO *Account of the diseases in the british military hospitals &c. p.* 7. HAEN *l. c. P. III. p.* 120 & *P. IX. p.* 94). Lucide ex his adparet, pro hac diffe-

rentia etiam medelam differre debere, exindeque hac ex ratione fundamentique nostri lege separationem postulare. Et quidem illa differentia ita ordinanda esse, videtur, ut tales febres, quo magis sanguinis putredine expertes sunt, & tamen indolem benignam inflammatoriam haud conservant, neque bilis corruptioni ortum debent, eo majori jure ad nervosarum genus referendæ sint. Cujus quidem ratio ex medendi ratione clarius adparebit. Omnibus medicamentis, in febri putrida adhibendis, acida mineralia, interque hæc acidum vitriolicum palmam præripere, nostris temporibus extra omnem dubitationem multiplici medicorum experientia positum est. Occurrit autem febris putridæ conditio, quæ acidorum usum contraindicat. Quodsi nempe vires nimis exhaustæ sint, atque circulatio ideo languescat, acida hunc virium torporem augent, ideoque vitanda sunt (v. LUDWIG *l. c. p. 68*). Hinc curationis ratione hæc febris conditio distinguenda est.

Vesicatoria in febrium putridarum vigore, præsertim ubi contagii suspicio non est, haud conveniunt, dum humorum resolutionem promoveant, atque circulationem, quæ nunc nonnihil infringenda est, adaugeant (v. TISSOT *diss. de febr. bil. p. 50 seq.* GLASS. *Comment. de febr. p. 163 seq.* HUXHAM *l. c. T. II. p. 113.* BROCKLESBY *l. c. vers. germ. p. 144 seq.*). Adest autem nonnunquam tanta virium prostratio, ut validissimis excitantibus opus sit. Hic illud stadium tertium febris carcerum pertinet, quod PRINGLIUS (*l. c. p. 311.*) descripsit, quo vesicatoriorum usum commendat, quocum etiam HUXHAM (*l. c. T. II. p. 115.*) consentit, dum ait: „Quando solida torpent, „ circulatio languescit, spiritus sunt effœti, & co„ mate corripitur æger, tunc vesicatoria sunt adpli-

„ canda, & utilitatem præſtant eximiam, quocumque „ febris tempore talis ſymptomatum accedit ſeries“ (*cf.* QUARIN *l. c. p. 54.* SARCONE *l. c. T. III. p. 115*). Sic etiam nonnunquam in febribus contagioſis, ubi conſtitutio mala non eſt, neque putredinis gradus magnus deprehenditur, contagium ad cutem determinare poſſunt (*cf.* LUDWIG *Adv. V. I. P. I. p. 60.*), attamen & hic ſumma prudentia adhibenda ſunt, vel ſaltim eorum loco epiſpaſtico ex armoracia &c. uti debet.

Ubi excitantia adplicanda atque ſimul ſudores promovendi ſunt, ſalia alcalina volatilia locum habere poſſe, a nonnullis medicis adfirmatur, & quidem a PRINGLIO eo majori adparentia, quum perſuaſum habuerit, hunc ſalem neutiquam conſtans putredinis productum eſſe. Ab aliis autem hæc ſalia ob vim earundem attenuantem & diſſolventem rejiciuntur. Sed quamvis rationes, quibus auctores, id negare vel adfirmare permoti ſunt, tam ex una, quam ex altera parte inſufficientes videntur, & hæc medicamenta omnino in febribus putridis contagioſis eximio cum fructu adhibenda eſſe, perſuaſiſſimum habeo, præcipue in iis, quæ magis ad nervoſarum genus vergunt, & ubi nimia humorum diſſolutio non ita facile timenda eſt.

Sudorem maximam criſeos partem conſtituere HUXHAMUS obſervavit (*l. c. T. II. p. 113, 148.*), atque PRINGLIUS diaphoretica alexipharmaca quam maxime ſuadet (*l. c. p. 309*). cf. QUARIN l. c. p. 55. Quam materiei ad cutim tendentiam etiam ex criticis illis metaſtaſibus ad parotides concludere licet, quæ febribus contagioſis tam ſæpe contingunt.

Hanc autem methodum non omnibus febris putridæ ſpeciebus congruentem eſſe, multiplici medicorum ob-

ſervatione conſtat. Pro varia enim febris conditione variaque cauſarum antecedentium qualitate prodeſſe aut nocere poteſt. Et hæc quidem differentia, optimorum practicorum experientia teſte, in eo poſita eſt, quod nempe, quo magis febris a contagio peſtilentiali ſeu proprie putrido, dependeat, atque vires inde proſtratæ ſint, eo majori jure diaphoretica atque alexipharmaca conveniant; quo major autem ſanguinis putredo in vigore febris, ubi tanta virium dejectio nondum acceſſerit, quoque minus hæc ſanguinis diſſolutio ab immediata contagii reactione producta fuit, eo utiliora acida atque alumen fuerint neque alexipharmaca proſint.

De cortice peruviano idem valet, quod ſupra de veſicantibus dictum fuit. Magis enim eo morbi ſtadio congruit, quo vires languunt, atque excitantia in uſum vocari debent (*cf.* BRÜNING *l. c. p. 77*). Camphora eodem modo haud ſtatim in initio febrium contagioſarum, neque in febribus putridis cum inflammatione, niſi reliquis medicamentis prægreſſis, locum habere debet; utiliſſimum vero eſt medicamentum, ſi diaphoreſis promovenda eſt. Sub iiſdem conditionibus, quæ excitantium uſum poſtulant, vinum adhibendum eſt, quod largiter atque eximio cum fructu a PRINGLIO (*l. c.*) & BROCKLESBY (*l. c.*) factum eſt.

Quonam jure aër fixus ad putredinem compeſcendam adhibendus ſit, ex practica obſervatione nondum certe conſtat (*cf. a medical Commentary on fixed air by* MATHEW DOBSON. *London 1779. p. 25.*), dum quidem hoc remedium in diſſolutione ſcorbutica optimum præſtet officium, hæc autem a putredine febrili valde differat. Peſtem marſilienſem vindemiis peractis ceſſaſſe dicitur, cujus rationem vapori, gas dicto, ex novis vinis exhalanti tribuerunt. Gaudet etiam probabilitate,

vapores litanthracum in Britannia putredinem impedire, quæ ex nimio carnium usu oriri debet, ficuti idem vapor rationis partem fortaffe febrium nervofarum continet, quæ Anglis communes funt. Quomodocunque autem hæc fint, eo in cafu, ubi vires excitandæ funt, aqua cum aëre fixo impregnata v. c. aqua felterana pro potu ordinario cum fructu dari poteft. In ftadio tertio optime cum vino propinatur.

Emetica quidem præcipue ad materiem fordidam e primis viis eliminandam adhibentur, attamen etiam in febribus fimplicibus putridis BROCKLESBY ea in ufum traxit, eoque quidem effectu, ut lingua arida nigraque humiditatem illam recuperaverit, quæ boni ægrorum ftatus fignum eft (*v. l. c. p. 147. feq.*). Huic tractamini etiam obfervatio illa favet, qua conftat, emeticorum operatione diaphorefin optime promotam fuiffe, quæ febribus contagiofis tantum prodeft.

Venæ fectio autem hifce febribus valde exitiofa effe poteft, & quidem eo plus, quo magis contagium nervos affecerit. GALENUS jam monuit, putredinem non indicare ad phlebotomiam (*v. Opp. L. 2. C. 14. T. VI. p. 278*). FORESTUS multas noxas in febribus putridis a venæ fectione oriri vidit (*v. l. c. L. I. Obf. 18. in fcholio & L. 6. Obf. 3*). GLASSIUS ex variis auctoribus idem probavit (*v. l. c. p. 74*). PRINGLIUS tandem (*l. c. p. 291, 307, 332*). HUXHAMUS (*l. c. T. I. p. 238. & T. II. p. 43, 67, 102*). BROCKLESBY (*l. c. p. 108. feq.*). FOTHERGILL (*Account of the putrid fore throat. Lond. 1769. p. 52.*) & MEDICI URATISLAVIENSES (*Hift. morb. Uratislav. Ao. 1699. p. 9.*) fæpius immediate poft venæ fectionem, pulfum demittere ac delirium accedere, viderunt (*cf. etiam* QUARIN *l. c. p. 60*). Ex omnibus breviter

horum aliorumque auctorum observationibus aperte colligere licet, venæ sectionem tantum in casu plethoræ, nunquam vero ob ipsius febris putridæ indolem instituendam esse. Adest quidem nonnunquam stasis inflammatoria, quæ phlebotomiam indicare videtur, plerumque vero hæc stasis putrida a phlegmone, in febribus inflammatoriis consueta, satis differt, nec eadem medendi methodus ei convenit. Hinc hæmorrhagiæ in hisce febribus fere nunquam criticæ, & rarissime cum euphoria succedunt, dum plerumque ex dissolutione oriuntur, atque morbi gravitatem declarant. Neque temere vera plethora in febribus putridis observare licet, cujus adparentia ex resolutoria tantum sanguinis turgescentia producitur (*cf.* LUDWIG *Advers. V. P. I. p. 53, 188*). Attamen omnia hæc cum limitatione adsumenda sunt, neque illud HUXHAMI argumentum, quod nempe in iis morbis, quorum causa in ipsius soliusque sanguinis depravatione sita est, venæ sectio ideo non proficiat, quoniam reliqua sanguinis massa inde non corrigatur sed semper eandem naturam conservet, non adeo adæquatum esse videtur. Sola enim diminutio depravati sanguinis magni jam emolumenti esse potest. Præcipue autem notandum venit, quod sanguinis massa non semper æquabiliter depravata observetur. Quamvis enim in primo sanguinis e vena missi vase pituita aut serum malæ indolis prodeat, tamen plerumque sequens vas hanc sanguinis conditionem haud manifestare, quin potius sæpissime melioris indolis adpareat, omnes fere observationes docent. Quodsi ergo simul virium ratio in censum trahatur, venæ sectio omnino & in his febribus, præcipue versus crisin, ubi ejus motus sæpe abundantia humorum impediuntur, utilitatem præstare potest.

Ex omnibus hisce, triplicem febrium putridarum conditionem, curationis ratione, distinguendam esse, patet, pro cujus differentia etiam in practico systemate febres ordinari debent. Et primo quidem prima sectio eas febres comprehendere debet, quæ peculiariter acidorum usum sibi vindicant, & huic eæ accensendæ erunt, quæ ex perverso regimine vel medela, vel ex constitutione corporis laxa originem trahunt, quæque exanthematibus & inflammationibus, ex contagio epidemico haud obortis, stipatæ sunt. Altera sectio eam conditionem spectabit, cui diaphoretica prosunt, quæque contagio epidemico ortum debet, nec tamen nimia virium dejectione affligit. Tertiam tandem sectionem ea febrium putridarum conditio constituet, ubi ex nimia contagii virulentia vires mox ita prosternuntur, ut excitantium ope naturæ sufful'cienda sit. Hic quidem pertinet ea pestis prophasis, quæ infra nervosarum febrium generi subordinavi. Huic porro conditioni ea proxime affinis est, ubi ex humorum dissolutione ea virium dejectio producitur, quæ acidorum usum perhibet, atque excitantia postulat, cui stadium tertium *febris carcerum* PRINGLII, stadium tertium *anginæ malignæ* FOTHERGILLII, & stadium tertium *febris flavæ americanæ* HILLARY adnumeranda sunt. Sectio prima & secunda commode ad putridarum nostrum genus referuntur. Promiscue quidem eas distribui, attamen nimis ambigua distinctione lectoris memoriam onerare nolui, quum pro rerum circumstantia, quam hic determinavi, differentia facile discernenda fuerit. Ultima autem sectio, quamvis humorum putredo simul adest, fundamenti tamen nostri lege, generi infra ponendo, subordinanda est.

Quando nunc harum febrium naturam inquirere ve-

limus, ad hanc duplicem earundem conditionem respiciendum erit. Conveniunt multi auctores, quod harum febrium natura in humorum putrida dissolutione lateat. Dissentiunt alii, phænomena proferentes, quæ nullam dissolutionem ostendunt, quamvis febres hujus generis esse viderentur, ideoque putredinem ab harum febrium natura prorsus abesse, credunt. Sic de HAEN hanc febrium determinationem rejicit in T. I. Rat. med. contin. C. de febr. malign. Idem fere legitur apud LIEUTAUD (*in synopsi Prax. med. T. I. p. 14*). Hujus dissensus ratio, in neglecta hac febris putridæ duplici conditione sita est. Quamvis enim in febrium contagiosarum epidemicarum initio sanguis non semper dissolutus adpareat, tamen omnia reliqua ostendunt, humores, perseverante morbo, ad putredinem vergere, neque phænomena, summo febris putridæ gradui solemnia, nisi ab ipsa sanguinis & reliquorum humorum putrida dissolutione produci, experientia confirmata est. Neque prius, febri sporadicæ nomen putridæ competit, nisi hæc dissolutio signis supra positis sese manifestaverit. Negari quidem nequit, quod prima febrium contagiosarum epidemicarum causa putredo non sit, quin hæc potius effectubus quodammodo adnumeranda sit. Et sicut crusta phlogistica febris inflammatoriæ causa materialis dici temere nequit, sic eadem ratione sanguis dissolutus non omne id comprehendit, in quo febris natura sita est. Ut enim in casu priori materia quædam adesse debet, qua facies sanguinis phlogistica efficitur, & in qua, ut natura simul lateat, credere fas est, sic in febri putrida materies in corpore latere debet, quæ humores dissolvit, quæque una cum dissolutione naturam febris sistit. Et hæc quidem materia pro supra posita febrium putridarum differentia diversa

eſt, variamque medelam ſibi vindicat, atque pro natura ſua variam quoque eamque duplicem febrium putridarum naturam conſtituit. Febris putrida epidemica contagioſa a ſubtili contagio, nervos primo peculiari ratione irritante & debilitante poſteaque ſanguinem & reliquos humores diſſolvente, pendet. Hoc natura ſua ad putredinem vergere & humores ad eandem ſemper diſponere, probabilitate haud caret, quum ſemper, ſub omni rerum conditione febrim putridam gignat, nec, ſicut de contagio exanthematico ſupra dictum fuit (*v. p. 156 ſeq.*), loci vel corporis conditionem ſpectet. Quamvis enim ſanguinis diſſolutio nonnunquam in ſummo febris gradu demum adpareat, tamen omnia reliqua hanc humorum diathesin facile manifeſtant, neque exceptio rara regulam quandam, innumeris exemplis comprobatam, dirimere valet. Ea autem materia, qua ſporadicæ febres putridæ producuntur, a reliquarum circumſtantiarum concurſu modificatur, atque in conſtitutione robuſta hyemis tempore &c. febrim inflammatoriam, ſub laxa autem corporis & aëris conditione, tempore ſicco & calido febrim putridam accendit. Quum ergo febri putridæ ſporadicæ hoc nomen tribui nequeat, niſi humorum diſſolutio atque putredo manifeſta ſint, harum natura in putredine conſiſtere, omni jure dici poterit. Quando etiam contagium epidemicum genio ſuo putredinem ſemper producit, mox in initio morbi, putridi nomen meretur, quamvis illa diſſolutio nondum manifeſta ſit, quæ peſſimorum hujus febris ſymptomatum cauſa eſt. Quum enim homines dentur, quorum ſanguis ſemper cruſtam phlogiſticæ ſimilem exhibet, hi autem eodem modo contagio adfligi poſſint, ratio facile patet illius phænomeni, quo alii uſi ſunt, ad ætiologiam noſtram debellandam. Hic enim ſanguis phlogiſticus pro contagii

aut febris effectu haberi nequit, cum brevi tempore dissolvatur (*cf.* HUXHAM *l. c. T. III. p. 111*). Quum porro in casu priori putredini jam manifestæ consulendum, altero in passu autem dissolutioni certe subsequendæ mature occurrendum sit, naturam febris putridæ generalem in putredine sitam esse, inde consequitur. Hac tamen differentia, ut materia, febres sporadicas efficiens, ab indole illius, qua febres contagiosæ epidemicæ producuntur, supra memorata ratione discedat, quæ diversitas etiam in ipsa humorum noxia qualitate pro omni verisimilitudine obtinet. Quænam autem sunt qualitates, humoribus putridis propriæ? An acrimonia alcalina? Sic jubet chemia; ita vult medelæ ratio. Quamvis enim PRINGLII experimenta huic contrarientur, tamen alcali volatile putredinis partium animalium sempiternum productum esse, extra omnem dubitationis aleam positum est; neque hujus Viri, alias de re medica immortaliter meriti, experimenta ea cautione instituta fuisse videntur, quæ necessarie requiritur, ad parcam illam salis volatilis copiam manifestandam, quæ in experimentis parvis progigni potest, quæque facillime in auras abit. An autem putredo in corpore viventi ad illum gradum perveniat, ut verum alcali evolvi posset? Et hoc experientia NIETZKY (*l. c. Schol. ad §. MDLII.* & MODELII *Abhandl. vom Salmiack.*) probatur qui illud sub salis ammoniacalis forma in corpore esse, observarunt. A putredine autem scorbutica hæc febrilis diathesis putridi differre videtur, dum scorbuto medicamentis, in febribus putridis utilissimis, haud eodem fructu consulatur. Hinc saltem patet, quod præter humorum tenuitatem atque dissolutionem, materia, illam efficiens, maximam mercatur attentionem, quippe a qua horum morborum naturalis differentia pendet.

SPECIES CONTINENTIUM PUTRIDARUM.

(a) SIMPLEX (*).

Synochus putris GALENI (*v. de differ. febr. L. I. C.* 9. & *meth. med. L. II. C.* 14). LOMMII (*Obs. med. L. I. p.* 3, 5.) & FORESTI (*L. I. Obs.* 15). *Febris maligna* LANGRISHII (*v. l. c. p.* 348). *Jail or Hospital-fever* PRINGLII (*l. c. p.* 287. *seq.*) BROCKLESBY (*l. c. vers. germ. p.* 134). *Senegal fever* BROOKES (*General practice of physic. &c. P. I. p.* 164). *Febris putrida* QUARIN (*l. c. p.* 38 *seq.*).

Hæc febris nostris regionibus plerumque aliquam simul primarum viarum colluviem sordidam conducit, a qua quidem natura febris haud pendet, quæ tamen in febris typo quemdam exercet influxum, ita ut nonnihil remittat. Ea febris autem, quam BROOKES (*l. c.*) descripsit, uno tenore progressa est, & verum continentis typum conservavit. Quod autem hæc senogalliæ febris vere hic pertineat, ex medendi methodo colligi potest, dum omnes evacuationes nocuerunt, medicamenta autem antiputredinosa sese utilia præbuerunt (v. BROOKES *l. c.* & *Epist.* VAGE *ad D.* BROCKLESBY *in Gentleman's magazine V. XXV.*).

(*) v. Schol. p. 105.

(b) COMPLICATÆ.

Quidnam generatim fub hac divifione indicetur, fupra jam explicui (v. p. 107. feq.). Ibidem difficultates declaravi, quæ naturalis differentiæ determinationem onerant, quæque & hujus generis fpecies premunt. In quo quidem fcientiæ imperfectio latet, quam corrigere ultra vires meas eft. Fundamentum diftinctionis fpecierum exiftentiam probat, & hoc mihi fufficit. Eadem enim penuria, qua prius laborat, fyftema fequitur. Emendato fundamento, id quod unius vires fuperat, fyftema corrigi poteft. Semper tamen hæc divifio filum præbet, quod in praxi generaliter profequendum eft. Quid enim inde refultat, utilitate haud deftitutum eft, quo autem adhuc caret, negativum tantum vitium eft, cujus culpa in rerum natura latet, quam plane dilucidare, nobis hucufque licitum non eft. In introductione (§. 20. 21.), ex una eademque caufa materiali varia oriri phænomena, viceque verfa phænomena facie confimilia, a differenti caufa materiali, produci poffe, evictum eft. Huic rationi omnis noftra divifio fuperftructa eft. Inflammationis ergo, exanthematum, catarrhi & dyfenteriæ phænomena iterum & ad hujus generis fpecies referri debent, methodi fundamento jubente. Specialis ergo febrium putridarum complicatarum character iis haud abfimilis eft, quibus fpecies febris inflammatoriæ a natura infigniuntur. Hinc ob repetitionem evitandam, ea, quæ ex fupra pofitis fpecierum defcriptionibus fupponi poffunt, nunc omittere liceat. Ordini omnino quidem magis con-

gruens fuisset, si ea phænomena, quæ morbos synonymos universaliter denotant, generatim etiam definita atque determinata fuissent, ita ut, in speciebus nostris describendis, omnia illa omitti potuissent, quæ non ex ipsa morbi natura promanant, veluti supra in introductione jam monui (p. 79). Quum autem id hoc in specimine nimis ambiguum fuisset, neque id difficultatibus suis, haud temere superandis, careat, in speciebus primi generis ponendis, omnia phænomena, morbis specialiter solemnia, adnotavi. Nunc autem atque in omnibus subsequentibus, ut prolixitas evitetur, ea tantum allegabo, quæ speciebus peculiariter atque exclusive competunt, vel quod idem est, quæ ex natura generis essentialiter promanant, & pro quorum ratione species quædam putrida, cum specie quidam inflammatoria synonyma, ab hac, ratione causæ materialis diversa est.

(α) CUM INFLAMMATIONE.

AFFECTIO localis, phænomenis phlegmonis (a) ſtipata, facile in gangrænam tranſiens.

Inflammationes, febribus putridis ſupervenientes, natura & indole a phlegmoni, febribus inflammatoriis propria, valde abhorrent, neque ideo confundi debent. Quamvis quidem hæc differentia ex ſolius ſanguinis diverſitate haud abſque allucinationis metu deduci poterit, quum dubitare adhuc liceat, ſanguinem ex mera ſolaque denſitate phlegmonem producere (*v. Schol. ad Phlegm. p. 110. ſeq.*), tamen harum febrium hiſtoria, tam pathologica quam practica, docet, tum phænomenorum, tum curationis ratione, inflammationes inter, quæ febribus inflammatoriis ſolemnes ſunt, & eas, quæ in putridis deprehenduntur, magnam intereſſe differentiam, ita ut univerſa inflammationis definitio realis dari nequeat, ſed ſemper ad febrium complicatarum naturam reſpiciendum ſit. Inflammationes enim, febribus putridis contingentes, ex ſtaſi quidem materiei cujuſdam oriri, concedendum eſt, quæ tamen materia magis ad corruptionem, quam ad ſuppurationem, inflammationis phlogiſticæ pediſſequam, tendit. SARCONE (*l. c. P. II. p. 93.*) in febribus putridis ſæpe vidit inflammationes, quæ tamen phlegmonis ſpeciem non ſiſtebant. Neque has inflammationes prius, niſi

(a) v. ſupra p. 107.

nisi sanguine dissoluto, antea denso, glutinoso, observavit (*l. c. p. 195*). Eandem differentiam adnotavit LUDWIG (*l. c. p. 52.*), atque has stases potissimum in venis esse, cadaverum sectione expertus est (*l. c. p. 186*). Hinc etiam sæpe dolore expertes sunt, atque post mortem tantum in conspectum veniunt (v. WIENHOLT *diss. de infl. occult. p. 11 seq.*). Curationis tandem ratio, hanc inflammationis putridæ naturam ejusdemque a phlegmone phlogistica differentiam aperte declarat. Haud enim, SARCONE & LUDWIGIO testantibus, his inflammationibus putridis venæ sectio, & resolventia conveniunt, quippe quæ inflammationis causam urgent atque augent. Methodus autem antiputredinosa optime iis congruit. Quodsi resolventium ope has stases dirimere, mens sit, optime hoc perfici poterit salis ammoniaci ope, cujus vis resolvens omnibus nota est, cujusque virtutem simul antiputredinosam nonnulli experientia comprobarunt (v. GOULARD *Chirurg. Werke, T. II. p. 134)*. Neque negari potest, inflammationes ante putredinem jam præsentes, hinc indeque phlegmoni magis adfines, methodum tunc antiphlogisticam, minori quidem omnino in gradu, postulare. Ita autem res tantum modo in febribus sporadicis se habet, neque facile in constitutione epidemica contagiosa observatur. Hinc iterum ad differentiam febrium putridarum, supra generatim datam, respiciendum, & ex totius febris conditione affectionis quoque localis natura & curatio dijudicanda atque perficienda est.

1. INFLAMMATIO PHARYNGIS.

PÆDANCHONE MARCI AURELII SEVERINI (*de rec. abſceſſ. natur. L. 8*). *Putrid ſore throat* FOTHERGILLII (*v. Account of the putrid ſore throat etc.*). *Angina maligna* HUXHAMI (*v. l. c. T. III. p. 92*). *Mal de gorge ulceré* TISSOTI (*v. Avis au peuple*). *Treatiſe on the malignant Angina or putrid and ulcerous ſore throat &c. by J. Johnſtone Worceſter 1779. Sammlung für pract. Aerzte B. 5. St. 2.*

Primo die rubor inflammatorius faucium. Secundo vel tertio die partes albeſcunt, ſigno incipientis gangrænæ. Vox obſcura, rauca, quaſi ab ulcere venereo orta. Quarto vel quinto die partes liveſcunt ac putreſcunt, & ſanies putrida corrodens ex ore & naribus promanat.

Morbum putridum fuiſſe, ac in putredine compeſcenda curationis cardinem conſtitiſſe, ex ſupra allegatorum auctorum obſervationibus luculenter adparet. Idem probavit VANDERMONDE *in diſſ. Ergo in ulcere tonſillarum gangrænoſo antiſeptica* (*v.* HALLERI *Collect. diſſ. pract. T. I. p. 568*). Signa colluviei bilioſæ hic

non deprehenduntur, & FOTHERGILL (*l. c. præfat. p. 5. & in libr. ipso p. 42, 52*) monet, purgantia sæpius nocuisse, neque diarrhœam spontaneam profuisse (*v. Londn. Bemerk. T. I. p. 197*). Datur quidem angina putrida, quæ a bile fovetur, in quaque purgantia necessarie adhibenda sunt, quæ tamen hic non pertinet, sed ad febrium biliosarum numerum referenda est. Singulare hujus anginæ speciei phænomenon est, quod interdum vires ægrotorum nullo fere modo ita infractæ sint, velut in aliis morbis putridis observatur, ita ut haud raro accidat, quod ægroti per aliquot horas ante mortem adhuc ambulent (*cf. Lond. Bemerk. l. c.*).

2. INFLAMMATIO PLEURÆ.

v. HUXHAM (*l. c. T. II. p. 230*). SCHRÖDERI & HOFFMANNI *diss. de pleurit. sicc. disser. p.* 8.

Symptomata pleuritidis inflammatoriæ (*a*).

3. INFLAMMATIO PULMOMUM.

Peripneumonia putrida HUXHAMI (*l. c. T. I. p. 324, 326. T. II. p. 63*.

Symptomata peripneumoniæ inflammatoriæ (*b*), sputo excepto, quod sanguine æquabiliter permixtum est.

(*a*) v. supra p. 122. (*b*) v. supra p. 129.

4. INFLAMMATIO PLEURÆ ET PULMONUM.

Pleuritis putrida FORESTI (*l. c. L. I. Obs.* 16, 17. *in scholio*. v. HUXHAM *l. c. T. II. p.* 63. & MONRO *l. c. p.* 8).

Symptomata pleuroperipneumoniæ inflammatoriæ (a), eadem sputorum facie, quæ in peripneumonia putrida observatur.

5. INFLAMMATIO HEPATIS.

v. FORESTUS (*l. c. L.* 16. *Obs.* 46).

Symptomata hepatitidis inflammatoriæ (b).

6. INFLAMMATIO UTERI.

Metritis typhodes SAUVAGES *Nos. method. Ed. in* 4to. *T. I. p.* 481.

Symptomata metritidis inflammatoriæ (c).

7. INFLAMMATIO CEREBRI.

v. PRINGLE *l. c. p.* 300.

Signa inflammationis supra posita (d).

(a) v. supra p. 131. (b) v. supra p. 132.
(c) v. supra p. 135. (d) v. supra p. 138.

(2) ERYSIPELAS.

Hic omnino erysipelatis species ponenda est, nisi semper ad febres exanthematicas refertur [idque, quod observationi contrarium sit, supra adnotavi (*v. Schol. p.* 142.)], quum sub febris putridæ concomitatione haud raro occurrat. Plerumque vero auctores erysipelas pro exanthematum specie habuerunt, nec ideo rite adnotarunt, an febres erysipelatosæ, quæ putridam indolem servarunt, ad inflammationum vel exanthematum ordinem pertineant. Hinc desunt observationes, ad hujus speciei existentiam probandam.

3. RHEUMATISMUS.

v. HOFFMANN. *Med. rat. syst. T. II. S.* 2. *C.* 8. BALLON. *l. c.* HUXHAM. *l. c. T. I. p.* 363.

Symptomata reumatismi inflammatorii (*a*). Solutio tumoris putrida.

(*a*) p. 144. Haud tamen semper tumor & rubor manifeste deprehenduntur, sicut generatim hæc phænomena in inflammatione putrida plerumque desunt.

(β) CUM CATARRHO (a).

1. CATARRHUS NARIUM ET FAUCIUM.

Febris catarrhalis maligna Germanorum, v. BRÜNING *l. c. p.* 18. HUXHAM *l. c. T. I. p.* 366.

Signa catarrhi inflammatorii (b). Materia acrior, vellicans & vesicans.

3. CATARRHUS PULMONUM.

Peripneumonia notha HUXHAMI (*l. c. T. I. p.* 316. & *T. III. p.* 200).

Characteres Peripneumoniæ nothæ inflammatoriæ (c).

Hæc peripneumonia notha ab illa, quam SYDENHAMUS descripsit, natura quam maxime differt. HUXHAMUS enim refert, sanguinem plerumque putridum, indeque venæsectionem nocivam fuisse. Hinc omni jure hoc in passu febribus putridis accensetur. Catarrhi putridi autem plerumque a bile putrida foventur. Hinc febri continente concomitante haud frequenter occurrunt, sed plerumque sub remittentis prophasi deprehenduntur.

(a) p. 149. (b) p. 150. (c) l. c.

(γ) CUM DYSENTERIA.

Febris dysenterica maligna ZIMMERMANNI (*l. c. p.* 354, 359, 369).

Symptomata cum iis dysenteriæ inflammatoriæ consimilia (*a*).

PRINGLIUS dysenteriam semper putridæ indolis esse, adfirmat (*l. c. p.* 252.), & quidem natura proxime a febribus biliosis putridis abesse, autumat (*l. c. & p.* 224.), quoniam semper autumno sævit, atque secundum experientiam suam semper unam eandemque medicandi methodum sibi vindicat, & hinc ad simplices febres putridas, eo jubente, referri nequit. Quum autem hæc febrium dysentericarum differentia ab aliis extra dubium posita sit, cum ipse PRINGLIUS nonnunquam in cadaverum sectionibus nullam bilis vitiosam qualitatem aut quantitatem viderit, quum porro haud raro febres putridas contagiosas dysenteria excipiat, atque idem medendi modus utrisque aptus sit, speciem hic ponendam esse, æstimavi, quamvis facillime largiar, illam cæteris hujus generis speciebus æque infrequenter occurrere.

(*a*) v. supra p. 152.

(8) CUM EXANTHEMATIBUS.

PHÆNOMENA supra constituta (*a*).

Contagium vel miasma exanthematicum natura sua ad putredinem vergere, nuper HOFFMANNUS (*Abhandl. von den Pocken*) adfirmavit. Sicut autem, veluti supra dictum est, totius morbi exanthematici conditio & natura a solo contagio vel miasmate haud pendet, sed major vel minor in corpore putredinis, inde ortæ, gradus, a varia aëris, soli & corporis constitutione producitur, generatim hanc facultatem, contagio inesse, dici nequit. Vario enim modo, diversoque gradu, materia exanthematica a memoratarum circumstantiarum concursu modificatur, ita ut tantum absit, quod semper humores dissolvat, quin potius haud raro summum gradum febris inflammatoriæ exciret. Quando autem conditiones, quæ putredini generatim ansam præbere valent, simul coincidunt, morbi exanthematici omnino facile indolem putridam contrahunt, eoque facilius communicantur, quo magis miasma dissolutum ac rarefactum fuerit. Nec veri absimile est, miasma putredine, fermenti instar, multiplicari, totamque fluidorum massam sibi assimilari. Hinc summa cura huic putredini occurrendum est, atque hæc febrium exanthematicarum differentia summam medicorum meretur attentionem.

(*a*) v. supra p. 156.

1. PESTIS.

v. Traité de la peste p. 38, 250, 318. CHENOT (*l. c. p. 64.*) SAMOILOVITZ *l. c.*

Eruptio tumorum in partibus musculosis valde dolentium, qui simul cum bubonibus nigrescunt, ac facillime in gangrænam transeunt.

Hanc tumorum proclivitatem ad gangrænam ex humorum putredine oriri, analogiæ ratione concludi poterit, dum idem in omnibus hujus generis infl mmationibus & exanthematibus observatur. Præcipue autem pestis putridæ signum pathognomonicum, cæteris paribus, anthraces esse, ex morborum historiis colligere licet (v. SCREIBER l. c. p. 41). Pestem semper putridæ indolis esse, SAMOILOVITZ adfirmat, nec aliud morbi genus agnoscit. Sic etiam ex ejusdem auctoris experientia patet, in medio epidemiæ stadio pestim semper cum petechiis & anthracibus conjunctam esse, nihilominus pro diversi epidemiæ temporis, pro loci, aëris & corporis constitutionis differentia, naturam pestis diversam esse, ex his sicut ex omnibus aliis observationibus apertum est. Sic etiam in his morbi speciebus usum glaciei externum inprimis prodesse, adparet (v. SAMOILOVITZ l. c. p. 129).

2. CARBUNCULUS.

Carbunculus benignus. Ignis persicus. SAU-

VAGES *l. c.* T. *I. p. 147. Ill. Balding. Neves Magazin für Aerzte B. 3. St. 3.*

Febris mitis. Symptomata nervosa. Tumor latus nec altus. Dolor urens. Nulla suppuratio, sed maxima propensio in gangrænam.

Proxime a peste hic morbus abest. Haud raro epidemice sævit. Methodus medendi antiseptica.

3. VARIOLÆ.

v. FORESTUS (*l. c.* L. *I. obs. 17. schol.*) HUXHAM (*l. c.* T. *II. p. 58, 121.*) ELLER (*l. c. p. 136, 144.*) *Variolæ sanguineæ* MEADII (*v. Opp. de Var. p. 37.* SCHROEDERI & FELLINGER *diss. circa variol. distribut. etc. p. 43. v.* SWIETEN *T. V. p. 47*).

Eruptione peracta febris haud cessat. Pustulæ mox violaceæ, sanguineæ & nigræ depressæ fiunt, maculis rubris & lividis interspersis.

Hæc variolarum conditio ab illa discrepat, quæ in secundo morbi stadio, suppurationis nimirum, sæpe deprehenditur, ubi ex pustularum copia pus sanguini admiscetur, atque febris putridæ species producitur. Sæpe enim variolæ mox sub earundem ingressu, paucissimis nonnunquam pustulis adparentibus, indolem putridam manifestant. Et hæc variolarum conditio plerumque a constitutione epidemica pendet, & veram

propriamque hujus generis speciem sistit. Altera autem modo memorata variolarum febris putrida sporadice tantum adparet & haud raro pravam curationem sequitur, qua variolæ peiores & ad putredinem producendam procliviores redduntur, præcipue in confluentibus, salivatione suppressa, atque purgantibus neglectis, cujus exempla vid. apud SYDENHAM (*Opp. Ed. Lugd. p.* 167. 359). Quamvis autem hujus febris putridæ variolosæ varia modificatio omnino discernenda est, commode tamen una atque altera ad unam eademque speciem reduci possint, quum eandem curationem postulent.

4. MORBILLI (*a*).

v. FORESTUS (*l. c. L.* 1. *obs.* 17.) HUXHAM (*l. c. T. I. p.* 216, 273, 277, 319. *Rubeola anomala* SAUVAGES (*Edit. in* 4*to. p.* 433).

Eruptio difficilis. Exanthemata ab humero & trunco incipiunt. Facile livescunt. Angina maligna (*b*).

5. RUBEOLÆ (*c*).

v. SELLE *Beytraege zur Natur-und Arzeneiwissensch. P. I. p.* 117.

Color cutis purpureus.

(*a*) v. supra p. 169.

(*b*) hujus symptomata vid. p. 200.

(*c*) v. supra p. 171.

VAGES *l. c.* T. *I. p. 147. Ill. B*
Magazin für Aerzte B. 3. St

Febris mitis. Symptomata
latus nec altus. Dolor uren
tio, sed maxima propensi

Proxime a peste hic morb
demice sævit. Methodus m

3. V

v. FORESTUS (
HUXHAM (*l. c.*
(*l. c. p. 136,* 1
DII (*v. Opp.*
FELLINGER
43. *v.* SW

Erupti
stulæ m ... *d. in 4to.*
pressæ ... *L. 1. obs. 17.*
spers ... *da sæpe compli-*
... (*l. c. præf. p.* 5.
... (*l. c.* T. *III. p.* 105).
fr ... *peuple El. Laus. 1766.*

...ena erysipelatis (*b*). Tumoris cor-
putrida.

(*a*) v. p. 172. (*b*) p. 173 seq.

8. MILIARIA (*a*).

purpurata SAUVAGES (*l. c. p.* 445.)
c. p. 115.) STOERCK (*Ann.*
ALLIONI (*l. c.* §. 105., 209.)
ULZENHEIM (*Preisschrift vom*

cum oleoso fœtido su-
ersis.

RIS BULLOSA (*b*).

us indicus SAUVAGES (*l. c. p.*
ebris bullosa maligna VOGELII (*l. c.*
o).

Semel in puero, febri putrida correpto, tales vesiculas vidi, ubi in pectore simul miliaria prorupta erant, atque vesiculæ magnæ, pure repletæ, gradu tantum a miliaribus differre videbantur. An ergo hæc febris cum præcedenti unam eandemque materiem pro causa agnoscat?

10. FEBRIS APHTHOSA (*c*).

Aphtha maligna SAUVAGES (*l. c. p.* 456.)
v. VOGEL (*l. c. p.* 119).
Papulæ cineritiæ & nigrescentes.

(*a*) p. 174.
(*b*) v. p. 176.
(*c*) l. c.

6. SCARLATINA (a).

Scarlatina maligna PLENCIZ (*Tr. 3. de Scarlat. p. 55. seq. cf.* MORTON *Pyretol. Exerc. III. C. 8.*

Eruptio lenta. Color macularum purpureus vel lividus. Angina maligna. Ante desquammationem in cute vesiculæ exurgunt, purpuram albam referentes, spatio bidui flaccescentes, quæ simul cum maculis decorticant.

Quamvis hæc febris semper fere cum angina conjuncta sit, tamen hanc speciem essentialiter ab angina putrida differre, docet CULLEN. l. c. P. 2. p. 78.

7. FEBRIS ERYSIPELATOSA.

Erysipelas typhodes SAUVAGES (*Ed. in 4to. T. I. p. 450*). FORESTUS (*l. c. L. 1. obs. 17. Schol.*). *Cum angina putrida sæpe complicata est. v.* FOTHERGILL (*l. c. præf. p. 5. libri p. 33*). HUXHAM (*l. c. T. III. p. 105*). TISSOT (*Avis au peuple Ed. Laus. 1766. p. 143*).

Phænomena erysipelatis (b). Tumoris corruptio putrida.

(a) v. p. 172. (b) p. 173 seq.

8. MILIARIA (*a*).

Miliaris purpurata SAUVAGES (*l. c. p.* 445.) *v.* ELLER (*l. c. p.* 115.) STOERCK (*Ann. med. p.* 48.) ALLIONI (*l. c.* §. 105., 209.) SCHULZE *von* SCHULZENHEIM (*Preisschrift vom Friesel p.* 18. *sq.*).

Pustulae livescentes cum oleoso foetido sudore, petechiis interspersis.

9. FEBRIS BULLOSA (*b*).

Pemphigus indicus SAUVAGES (*l. c. p.* 432.) *Febris bullosa maligna* VOGELII (*l. c. p.* 116).

Semel in puero, febri putrida correpto, tales vesiculas vidi, ubi in pectore simul miliaria prorupta erant, atque vesiculae magnae, pure repletae, gradu tantum a miliaribus differre videbantur. An ergo haec febris cum praecedenti unam eandemque materiem pro causa agnoscat?

10. FEBRIS APHTHOSA (*c*).

Aphtha maligna SAUVAGES (*l. c. p.* 456.) *v.* VOGEL (*l. c. p.* 119).

Papulae cineritiae & nigrescentes.

(*a*) p. 174.
(*b*) v. p. 176.
(*c*) l. c.

II. FEBRIS PETECHIALIS.

Purpura maligna SAUVAGES (*l. c. p. 447*). LUDWIG (*Adverf. V. 1. P. I. p. 33*).

Maculæ purpureæ, precipue in lumbo, pectore & dorfo in morbi incremento adparentes.

Hæc petechiarum conditio ab ea diverfa eft, fub qua in ultimo morborum putridorum ftadio deprehenduntur. Hi enim a mera fanguinis refolutione pendent, & illam fpeciem conftituunt, cui SAUVAGES (*l. c. p. 448.*) purpuræ fymptomaticæ nomen dedit. Quando autem in conftitutione epidemica omnibus fere individuis in morbi vigore accedunt, a peculiare eaque a mera fanguinis vel bilis putredine diverfa materie pendere videntur, & tunc fpeciem noftram fiftunt. Plerumque quidem in febribus biliofis putridis obfervantur, ita ut nonnulli, femper eas ex putrida primarum viarum colluvie oriri, autument. Quum autem nondum ex toto negari poffit, quod nunquam in febri putrida fimplici petechiæ oboriantur, fpecies inde conficienda erat.

ORDO SECUNDUS.

REMITTENTES. ΣΥΝΕΧΕΕΣ GRAECORUM.

Remiſſio ac exacerbatio ſymptomatum febrilium. Symptomata cauſis manifeſtis reſpondentia, *.

* Plerumque hæ remiſſiones typum quemdam fixum ſervant, quem ſequuntur & ſecundum cujus rationem plerique auctores harum febrium differentiam determinarunt. Quum autem hucuſque ex remittentium typi differentia nihil ad febris naturam concludi poſſit, eundem neglexi, principiis noſtris, ſupra poſitis (*v. Introd.* §. 26, 29, 35.), jubentibus, ſecundum quæ, ea tantum phænomena characterum munus abſolvunt, ex quibus naturam morbi cognoſcere poſſimus. Neque ſemper hæc exacerbatio frigore manifeſto incipere ſolet, quod ſæpiſſime deeſt. Nec tandem remiſſiones & exacerbationes in iis febribus, quas huic ordini ſubordinavi, ſemper regulares ſunt, ita ut ex ſolius hujus phænomeni ratione ordo noſter haud manifeſte determinari poſſit, cum exacerbationes irregulares etiam nervoſarum characterem conſtituant. Hinc cauſarum ratio ſimul attendenda eſt, ex cujus ad ſymptomata & curationem relatione ordo noſter ab ordine nervoſarum diſcerni debet.

A. CUM COLLUVIE IMPURA PRIMARUM VIARUM.

Febres a bile HIPPOCRATIS (*de morb. L.* 2. *S.* 36). *Febres mesentericæ* BAGLIVI (*Opp. p.* 51). *Febres gastricæ* BALLONII (*Opp. L.* 2. *Epid. p.* 78).

Varia hujus colluviei conditio, pro loci, quem occupat, pro ejusdemque variæ naturæ differentia, ad praxin valde momentosa, observatur & discerni debet.

1. Quandoque bilis sincera in ventriculo vel intestinis effusa est, per saporem amarum, pura vero lingua, vel aliquid tantum spumosi ei inhærens, sese manifestans (*a*). Huic bilis effusioni constitutiones cholericæ obnoxiæ sunt, & illa morborum dfferentia est, quam SAUVAGES biliosorum nomine distinxit (*b*).

2. Ple-

(*a*) Ita bilis conditio est in febri flava americana. (v. BISSET *Versuche und Bemerk. in der Arzenei-und Wundarzeneikunst. p.* 18).

(*b*) v. Claff. IX. ætiologica in T. II. Nof. meth. Ed. in 4to. p. 663.

2. Plerumque bilis cum pituita commixta est, & parietibus primarum viarum firmiter adhæret, ita ut per evacuantia non facile moveri possit. Lingua tunc squalida, sed muco tenaci, firmiter illi inhærenti, & pro bilis, quæ simul admixta est, majori vel minori copia, plus minusve flavo, obtecta est. Oris amaritudo, vel sapor putridus. Sensatio pituitæ in gustu. Appetitus prostratus. Pituitæ genesi præcipue favet constitutio melancholica. Morbi saburrales SAUVAGES inde producuntur (*c*).

3. Tam diu hæc saburra per totam machinam dispersa atque viribus naturæ ad exitum nondum parata est, variis phænomenis ansam præbet, ex hujus conditionis morbosæ internæ relatione dijudicandis (*d*). Hic pertinent, inter innumera alia, sequentia.

(*c*) v. Class. X. l. c. p. *665*.

(*d*) Hoc quidem haud raro satis difficile dignosci potest, quoniam hoc in passu nonnunquam omnia signa consueta colluviei desunt. Sic in epidemia, anno 1772 grassata, quandoque ne vestigium quidem bilis vitiatæ deprehendi poterat, ubi tamen vomitorio magna bilis viridis copia ejiciebatur, & sic febris imminens in ortu tollebatur, cf. Præf. ad BROCKLESBY.

Pulsus intermittens (*e*). Sitis (*f*). Tremor labiorum & maxillæ (*g*). Pervigilia (*h*). Stupor & sopor (*i*). Convulsiones (*k*). Prostratio virium (*l*). Deliria (*m*). Color cutis ictericus (*n*).

(*e*) Signum cruditatum constantissimum esse, & pulsum illum raro ex alia causa oriri FERREIN adfirmat (v. *Histoire de l'Acad. de Paris 1766, vel Comment. Lips. V.* 18. P. *I. p.* 70). Pulsum obscurum a saburra primarum viarum GALENUS jam deprehendit (*v. Meth. Med. L.* 12. *C.* 3).

(*f*) van SWIETEN Comment. II. p. 209. GORTER Exercit. med. IV. §. 23, 24.

(*g*) SARCONE l. c. T. II. p. 258. RAHN diss. de miro inter caput & viscera abdominis commercio §. 29.

(*h*) v. TISSOT de febr bil. Laus. Ed. BALDING. p. 131. VALCARENGHI Med. c. rat. T. I. p. 168.

(*i*) v STRACK de morbo cum petechiis p. 41. RAHN diss. cit. §. 24.

(*k*) van SWIETEN Comment. II. p. 359. GLASS. l. c. p. 143. STRACK l. c. p. 58. TISSOT l. c. p. 113. RAHN diss. cit. p. 113 seq.

(*l*) Vires suppressas sæpe mirifice uno emetico erigi posse, observatione multorum medicorum constat, v. van SWIETEN Comment. II. p. 271. T. III. §. 661. TISSOT l. c. p. 128. STRACK l. c. p. 132. RAHN l. c. p. 74 seq. Male ergo hoc phænomenon ad malignitatis signa generatim numeratur. Sub hac conditione saltim ei tantum malignum est, cui ejusdem ratio latet.

(*m*) van SWIETEN Comment. II. §. 701. TISSOT. l. c. p. 103. HUXHAM l. c. T. I. p. 260. STRACK l. c. p. 53. RAHN l. c. p. 94 seq.

(*n*) Hunc observarunt HOME (*Medical facts and Experiments* p. 15). PRINGLE l. c. p. 172. & MONRO (l. c. p. 163.) ubi post mortem nullum calculi vestigium, vel

Hæmorrhagiæ (*o*). Sanguinis ferum ex flavo viridefcens (*p*). Urina jumentorum (*q*).

4. Mobili hac colluvie reddita, vel ex maffa fanguinis ad inteftina delata, HIPPOCRATIS loquendi more tunc turgida eft (*r*). Turget autem vel fupra vel infra. Materies circa ventriculum vel fupra turgefcens, fequentibus fignis fefe manifeftat: Lingua fqualida, ita ut illa fordities digito defumi poffit (*f*). Anima fœtida. Naufea. Conatus

alia ductus choledochi obftructio reperta fuit. Præcipue hæc cutis flavedo in illa febri americana obfervatur, quam HILLARY defcripfit, quæque exinde nomen cœpit *Yellow fever* (*v.* HILLARY *on the epidemical difeafes of Barbados Lond.* 1759. *p.* 148.) ubi veficula fellea, in cadaverum fectionibus, femper bile turgida vifa eft. (*cf. etiam* SARCONE *l. c. T. II.* p. 144).

(*o*) v. van SWIETEN T. II. p. 461. GLASS. l. c. p. 27. STRACK l. c. p. 165.

(*p*) v. Recueil periodique T. VII. p. 209. Medical Effays by a fociety of Edinburgh. P. I. V. 5. p. 33. HILLARY l. c. p. 148. ROSEN l. c. p. 448. Si crufta inflammatoria fimul adeft, hæc flavum habet colorem & ferum amaro gaudet fapore, v. MONRO l. c. p. 162. LANGRISH l. c. p. 68. CLEGHORN l. c. p. 245.

(*q*) v. GLASS. l. c. p. 7. STRACK l. c. p. 53.

(*r*) v. GLASS l. c. Comment. 7.

(*f*) Hæc linguæ ad materiem internam relatio obfervatione optime confirmatur, de qua præcipue SARCONE T. II p. 150, 170. & BORDEV (*vom fchleimichten Gewebe p.* 97 *feq.*) legi merentur.

vomendi. Vomitus biliosus vel pituitosus. Sensus molestiæ circa præcordia (t). Extremitatum frigus (u). Inquietudo & anxietas. Dolores artuum. Cephalalgia (x). Susurrus aurium (y). Oculorum caligo. Vertigo (z). Materiem autem infra turgere, vel intestinis insidere, significant: Genuum gravitas. Lumborum dolor. Ventris distensio (aa). Murmura & tormina. Alui egestiones liquidæ, corruptæ, acres.

(t) SARCONE l. c. T. II. p. 258. BISSET l. c. p. 18.
(u) GLASS l. c. p. 79.
(x) HIPPOCRATES Progn. III. §. 35. FORESTUS l. c. L. 7. obs. 15. TISSOT l. c. p. 7, 91. GRAINGER l. c. p. 31 seq. RAHN diss. cit. p. 8 seq.
(y) RAHN l. c. §. 20.
(z) RAHN l. c. p. 70.
(aa) Meteorismum haud raro in febri biliosa, quam descripsit, observavit TISSOT l. c. p. 10. seq. cf. SARCONE l. c. T. II. p. 111.

Ordo systematicus, has colluviei primarum viarum sordidæ differentias ita quidem ordinare jubet, ut iis generibus superponendæ fuissent, quæ exclusive unam alteramve ex his saburræ conditionem pro causa agnoscunt. Quum autem hæc phænomena vario modo mixta in individuis deprehendantur, unde eorundem determinatio satis difficilis est, totius hujus febrium causæ materialis ambitum exhibere malui, quam allucinationem subire.

Quod ad curationem harum febrium attinet, sequentibus generatim absolvitur:

1. Bilis pura effusi corrigenda est, nec, ita comparata, evacuantibus expelli debet, quoniam constitutionis ratione facile inflammatio inde contrahitur.
2. Donec materies nondum turgescit, evacuari haud temere potest, sed primo mobilis reddi debet, leniter resolventibus & antispasmodicis (v. QUARIN *l. c. p. 43.*). Opium in febri americana eximio fructu datur (v. BISSET p. 35).
3. Dum sanguini admixta est, laxantibus ad intestina determinari oportet.
4. Si autem turgeat, mox expellenda est, in quovis sit febris statu (v. CELS. *L. I. C. 3. L. II. C. 13.* HUXHAM *T. I. p. 238.* GLASS. *Comment. 7.* QUARIN *l. c. p. 8 seq.*), & quidem vomitorio si supra, purgante autem, si infra turgescat. Fatuum ergo illud multorum medicorum præceptum, nunquam in febris initio & vigore purgare, „medicina enim non ad temporis mensuram, sed ad morbi momenta accommodari debet " (v. FREIND *de purg. in sed. var. febr. Lond. 1719. p. 23.*). Criseos pars diarrhœa semper esse debet (v. GRANT *l. c. p. 29*).

Hæc sunt, quæ generatim de hac colluvie valent. Ulterius autem inquirendum est, an etiam veræ febrium causæ materialis nomen mereatur. In multis febribus eam manifestam esse, eaque neglecta, febrim sat benignæ indolis, summo vitæ periculo protrahi, nimis frequenti medicorum observatione constat, quam ut ulteriori probatione indigeat. Attamen varii auctores

magni nominis hanc bilis vitiosam qualitatem & quantitatem, non ad febrium causas, sed potius ad earundem effectus numerarunt (v. PRINGLE *l. c. p. 77, 186*). Quando autem innumera exempla probant, saepe per totum constitutionis epidemicae stadium, febres mere laxantibus profligatas fuisse, causae materialis munere omnino perfuncta est. Differentia modo, variae colluviei in primis viis conditionis, supra posita, hic attendenda est, cujus ratio hunc dissensum facillime tollere poterit. Dantur nempe febres, ubi mox in earundem initio signa colluviei corruptae in primis viis manifesta sunt, quaeque vere proprieque febres biliosae nuncupantur, quoniam ab hac colluvie foventur. Et hae quidem ex vitiata digestione, animi pathematibus, accedente nonnunquam miasmate epidemico, quo humores gastrici prorsus demum viciantur, originem trahunt. Nemo, veluti opinor, in his febribus colluviei biliosae, causae materialis praedicatum denegabit, vel, quod idem est, harum febrium naturam in hac colluvie sitam esse, dubitabit, tam facie quam curatione id suadentibus.

Aliud autem febrium genus exstat, ubi sub earundem ingressu hujus colluviei cooperationis suspicio ne minima quidem est, ubi autem, viribus naturae, atque medicamentorum laxantium ope, magna pituitae stercorosae copia ad intestina defertur, ita ut ex omnibus colligi debeat, naturam hac via materiem eliminare vere intentam esse, quid! quod, si idem per alias vias praestare velimus, nunquam faustus curationis eventus expectari possit. Ita se praebuit epidemia, anno 1772 grassata, cujus genium in praefatione ad versionem BROCKLESBY *oeconomical and medical observations* exponere studui. Et hae sunt febres, de quibus varii aucto-

res sententiam ferunt, quod bilem generent (v. QUARIN *l. c. p.* 40), neque exinde bilis pro causa haberi possit. Sed sane eodem jure, quo adfirmare contendis, hanc colluviem febris effectum nec causam esse, quoniam natura, febri durante, ad intestina illam defert, eadem ratione idem de omnibus aliis febrium causis dicere poteris, quum omnes causæ febris ope foras demum eliminentur. Distinguendum ergo inter proprietatem causarum, quibus morbi producuntur, & inter earundem extricationem. Hæc omnino quidem febris effectubus accensenda est, attamen ante expulsionem motus illos excitavit, quorum actione expellitur, indeque hac ratione omnino febris causam constituit, neque ipsa a febri genita est. Hac ergo argumentandi ratione nil contra nos concludi potest. Attamen objici poterit, hanc colluviem non in primis viis genitam esse, nec inde causam harum febrium materialem in primis viis residere. Sed unde, quæso, hæc febris in ejusdem initio, uno quidem vomitorio sæpe, nisi ex toto in ortu tolli, valde saltim ejusdem vehementia in progressu infringi potest? Nonne primo materiem in primis viis latere, inde consequitur? Concedi quidem etiam debet, sæpissime hoc incassum prosecutum fuisse, sed tunc forte materia in sanguinem jam transiit, vel, quod adhuc majori probabilitate adparet, pars sanguinis, quæ hepati bilis materiem præbet, depravata est, & nunc vomitoriis simul expellitur, ita ut febris fomitem simul secum trahat. Sic etiam ratio intelligi potest, cur hæc colluvies biliosa, medicamentis solventibus adhibitis, demum adpareat. Semper tamen probabile manet, contagium peculiariter organa digestionis afficere (*cf.* LIND *Samml. für pract. Aerzte B.* 2. *St.* 3. *p.* 178, 185). Sane omnia harum febrium magnam

O iv

proximamque cum febribus biliosis affinitatem suadent; nec ab invicem, nisi modo memorata ratione, quæ tamen in praxi eadem est, differre, indeque ad unam eandemque classem naturalem referendas esse, consequitur. Alia autem adhuc difficultas discutienda est. Unde nempe harum febrium natura in earundem initio determinari potest, quum signa hujus colluviei statim sensibus externis manifesta non sint? Hoc, fateri debet, nonnunquam allucinationi obnoxium est. Attamen ex negativa febris conditione id quodammodo perfici potest. Sic febris acuta, remissionibus manifestis stipata, magnum jam suspicioni locum dat, colluviem impuram primarum viarum in causa esse. Quum etiam hæc febris haud temere, nisi epidemice, grassetur, post aliquot grassationis tempus genius epidemiæ ex prægressis quibusdam observationibus ulterius analogice determinari potest. Est hic omnino penuria, cujus suppletio posteris relinquenda est. Quod ad ætiologiam harum febrium attinet, miasma epidemicum specifica vi nociva humores gastricos interque illos bilem præcipue afficere, probabilitate ex modo præmissis abstrahere liceat. Hic autem gradum cohibeo.

Dantur tertio febres, ubi revera hæc colluvies, quamvis in præsto sit, causa tamen materialis exclusive dici nequit. Sic in variolis & aliis febribus inflammatoriis sæpe bilis vitiata deprehenditur, ex qua autem febrim ex toto ortam esse, nemo adfirmabit, quamvis ad ipsius febris modificationem symbolam conferat. Hic ergo complicatio duarum causarum materialium, quarum ratione febris existit, eaque quidem ratione, ut febris in genere miasma variolosum pro causa agnoscat, peculiaris autem hujus febris conditio & indoles a colluvie pendeat. Nunc autem supra, practicis op-

timis consentientibus, datum fuit, in curatione haud ad ipsum miasma, sed ad morbi concomitantis naturam respiciendum esse, (*v. Schol. p. 156 seq.*). Ergo hoc in casu curatio in extricanda colluvie versatur, exindeque hic febris variolosæ status ad febrium biliosarum ordinem, secundum distinctionis nostræ fundamentum, referendus est. Idem de febribus cum inflammatione locali conjunctis & reliquis valet, veluti infra auctorum testimoniis evincere studebo.

Hæc est varia conditio, sub qua colluvies materiæ morbosæ in primis viis, vel proprie ibi genita, vel saltem ortum inde ducens, imperium suum in febribus fovendis atque producendis exercet. Generatim ergo febris gastricæ natura in eo ponenda est, ut febris ita cum hac colluvie connexa sit, ut symptomata non prius cessent, nisi expurgata colluvie, vel, ut secundum principia in introductione posita loquar, omnes febres quarum curationis cardo in expurganda colluvie sordida per primas vias versatur, natura consimiles, & quidem ratione hujus colluviei, ad unum eundemque ordinem naturalem numerandæ sunt. Negari quidem nequit, his febribus alia adhuc medicamenta & remedia, præter evacuantia, non solum prodesse, sed etiam necessarie adhibenda esse, ex quorum tamen ad morbum relatione facile colligi potest, ad causam materialem auferendam proprie nihil facere, sed ad complicata simul symptomata, ab alia causa materiali pendentia, magis respicere, de quibus infra. Quum ergo a potiori determinatio fieri debeat, hujus colluviei ratione hæ febres ab aliis distinguendæ sunt, dum curatio præcipue in ea extricanda posita est. Sic a febribus nervosis gastricæ nostræ apte distinguuntur, quæ alias quodammodo affines ideo videntur, cum haud raro etiam

in febribus nervosis bilis vel pituita evacuanda sit. Hic autem causa materialis inprimis in morbosa nervosi systematis conditione latet, nec medela evacuantibus absolvi potest, id quod ex manifesta colluviei conditione ejusdemque signis, febri haud respondentibus, prævidetur. Et quamvis febres biliosæ, ubi signa colluviei in initio haud statim manifesta sunt, hic difficultatem moveri videntur; tamen ex adparenti symptomatum indole, aëris & corporis constitutione, facile simul adparebit, an causa magis in nervis vel in primis viis lateat.

Alia adhuc adnotanda venit harum febrium differentia, ipsius colluviei indolis ratione. Nunc quidem maximam colluviei partem bilis constituit, nunc pituita prævalet. Colluvies biliosa stricte dicta majori impetu agit, atque febres acutiores producere valet. In corporibus autem laxis pituita sensim coacervatur, cui alia adhuc irritante causa accedente, febris priori lentior, quamvis æque periculosa, excitatur. Hæ febres naturæ ratione ab invicem recedunt, ideoque sedulo discerni debent. Hæc differentia quidem quodammodo ab ipsa colluvie, præsertim autem ab aëris & corporis constitutione pendet. Et hæc ea est, quæ simul fundamenta præbet, secundum quorum normam genera harum febrium ponenda erunt.

Occurrunt febres biliosæ, ubi in sanguine vitium manifestum vel a statu naturali aberrationem haud deprehendimus, eo excepto, quod pituitam ei admixtam conspiciamus. Hæ febres plerumque a colluvie pituitosa in primis viis foventur, & primum genus constituunt, natura a reliquis satis distinctum.

Colluvies autem biliosa majus in sanguine exceroet imperium, ejusdemque naturalem indolem plerumque mutat. Et quidem humores nunc magis ad putredinem, nunc potius ad diathesin inflammatoriam vergere, experientia docuit. Quum porro ad hanc humorum diversam indolem semper respiciendum sit, etiam secundum hanc differentiam febres ordinandas esse, ex fundamentis nostris præmissis consequitur. Duplex ideo febrium biliosarum genus inde confici debet, quorum primum febres biliosas inflammatorias, alterum autem febres biliosas putridas comprehendet. Dantur tandem febres, ubi cruditates quidem in primis viis reperiuntur, quæ autem, si parva quantitate nec singulari mala indole infectæ sunt, haud magnam attentionem merentur, neque ad febrim modificandam faciunt, quamvis omnino expurgari debeant. Num remissio essentialiter a colluvie producitur? An cæteris paribus remissiones eo evidentiores adpareant, quo magis sanguis vitiatus est, versaque ratione eo obscuriores fiant, quo magis sanguis ad indolem accedit, quæ in febribus continentibus observatur? (*cf.* PRINGLE *l. c. p. 170*) MONRO (*l. c. p. 156*) *Schol. ad febr. continent. p. 9 seq.*).

Hæc est differentia harum febrium gastricarum, quam vere naturalem esse, ex reiterata medicorum experientia persuasissimum habeo, quamque nunc delineare ac conspectui exhibere, conabor.

GENUS PRIMUM REMITTENTIUM GASTRICARUM.

FEBRIS BILIOSA INFLAMMATORIA.

TEMPUS vernale (*a*). Signa diathefeos fanguinis phlogifticæ & colluviei biliofæ (*b*).

Duarum caufarum materialium concurfus, ut ad hæc duo momenta, in hac febri profliganda, refpiciatur, requirit, ad diathefin nempe fanguinis inflammatoriam auferendam, atque ad colluviem biliofam expurgandam. Pro varia autem earundem implicatione, varius quoque medicamentorum & remediorum, quæ hic in ufum trahuntur, ordo in iis adhibendis obfervari debet, ne ex præpoftera harum indicationum exfecutione damnum oboriatur. Militat inter remedia, huic febri congrua, ob fanguinis conditionem phlogifticam, phlebotomia. Quod autem venæ fectio hoc in ftatu facile, præcipue hac colluviæ neglecta noxas contrahere queat, multis obfervationibus confirmatum eft. HIPPOCRATES hoc jam adnotavit, dum ait: „Venæ fectionem in pleuritide nocere, ubi cibum averfetur æger, five præcordium fublime (μετέωρον) ha-

(*a*) PRINGLE l. c. p. 170. Sic etiam quando in fine autumni conftitutio biliofa graffata eft, & tunc fubito conftitutio aëris phlogiftica accedit, morbi hujus generis oriuntur. v. GRANT l. c. p. 137.

(*b*) v. Genus primum continentium p. 95. & figna colluviei modo data.

„ buerit“. Quod etiam propria experientia multisque auctorum testimoniis comprobavit Tissot (*in diss. de febr. bil. Opp. Ed.* Baldinger *T. I. p. 96*). Versa autem ratione urgente plethora atque diathesi sanguinis phlogistica evacuantia per os & alvum statum pejorem reddere possunt. Hinc practicus ei primo occurrere debet, quod magis urget. Ubi constitutio inflammatoria prævalet, atque localis affectio imminet, statim vena secanda est, & hoc peracto, evacuantia in auxilium vocanda sunt. Quo magis autem colluvies turget, quoque minus febris ad continentis inflammatoriæ naturam propendet, eo parcior sanguis mittendus est. Sic etiam venæ sectio sæpe materiæ turgescentiam promovere potest, id quod inde patet, quod haud raro ægri immediate post venæ sectionem bilem rejiciant. Ad eundem scopum antispasmodica & balnea tepida inservire possunt (*cf.* Lentin *Memorab. circ. aërem &c.*). Idem de reliquis medicamentis & remediis, diathesi inflammatoriæ proficuis valet (*cf.* Grant *l. c. p. 313, 370.* Tissot *l. c. p. 116. & Lettre à Mr.* Zimmermann *sur l'épidémie courante, p. 21 seq.* Pringle *l. c. p. 201.* Glass *l. c. p. 76.* Kloekhoff *Opusc. med. p. 58.* Quarin *l. c. p. 10.* Schroederi & Jungschultz *diss. cit. de Venæ sectione &c. §. 8. seq.*

SPECIES.

(A) SIMPLEX.

QUAMVIS ex ſæpe jam hujus termini data notione uſus ejuſdem hic, facile legitimatur, tamen lectorum quorundam memoriæ adhuc ſuccurrere liceat. Maxima omnino hic ratione cauſarum materialium conditionis, complicatio adeſt, nec hoc reſpectu hanc febrim ſimplicem appellari poſſumus. Quatenus autem ſpecies occurrunt, nulla alia facie, quam generica adparentes, has ſimplices nominare diſtinctionis noſtræ ordo jubet. v. Schol. p. 105, 107.

Febris putrida cum diatheſi phlogiſtica TISSOTI (*v. l. c. p. 116, 135*). *Remitting fever of the camp* PRINGLII (*l. c. p. 169*) *cf.* HIPPOCRAT. *Aphor. S. III. n. 21.* WINTRINCHAM *l. c. p. 201.* MONRO *l. c. p. 105, 157.* HOME *Medical facts and Exper. p. 16.* BROCKLESBY *l. c. p. 172. Febris cholerica* HOFFMANNI (*v. Med. rat. T. IV. P. I. S. 2. §. 6*). *Synochus non putris* GRANT *l. c. p. 475.*

Hic etiam ſecundum auctorum nonnullorum deſcriptionem *febris ardens ſeu cauſus* pertinere videtur, de cujus denominationis ratione v. Introd. p. 50.

(A) COMPLICATÆ.

(α) CUM INFLAMMATIONE LOCALI.

INFLAMMATIO a colluvie pendens. Hac crescente facile in suppurationem transit, ea expulsa, valde, nisi ex toto infringitur.

Hæc inflammationum conditio frequentior sane occurrit, quam vulgo putatur & videtur. Vetusta jam est observatio, postea hypothesibus obsoleta reddita, reddita, nunc autem Hippocratico scientiam nostram tractandi modo restaurato, neotericorum observatione denuo comprobata. Obscura quidem omnino hæc ætiologia, haud tamen ideo minori veritate constat. An ipsi bilis metastatice ad loca deponatur, ibidemque acredine sua partes inflammet? (v. QUARIN *l. c. p.* 41. STOLL *Rat. med. T. I. p.* 188) Vel an ex consensu nervorum irritamentum tantum consensuale præbet, quo humores alliciuntur, & sic inflammationem producunt? Ab ipsius bilis immediata erosione inflammationes produci posse, nemo in dubium vocabit, cui morbosa ejusdem acredo cognita est; cui sectiones cadaverum accedunt, quibus hæc causa atque ratio constant, unde hepatis, ventriculi & intestinorum inflammationes sæpe oriuntur. Quod autem ipsa bilis ad superiora vehatur, inde probabile redditur, quod crusta, viscera inflammata post mortem obsidens, magis flavescenti colore conspicitur (v. TISSOT *Lettre à Mr.* ZIMMERMANN *sur l'epid. cour. p.* 14). Quod tamen

tales inflammationes ſæpe a mero conſenſu pendeant; inde conſtare videtur, quoniam uno ſæpe purgante tolluntur, ex qua ſubitanea curatione veram phlegmonem fuiſſe, ſuſpicari non licet. De peculiari ratione, ſecundum quam cellulofæ ope has inflammationes oriri, dicitur, v. BORDEV (*vom ſchleimicht. Gewebe*). Omnino quidem inflammationes in febribus bilioſis etiam veræ phlegmonoideæ indolis eſſe poſſunt, nulloque cum colluvie junctæ nexu. Attamen, quum colluvies ſemper ad febrim faciat, & ab hac iterum inflammatio pendeat, in curatione differentia nulla eſt. Hinc abſque confuſionis metu ad unum idemque genus referuntur. De curatione cæteris paribus idem valet, quod ſupra generatim de febribus bilioſis inflammatoriis medendis propoſui (*v. Schol. p.* 229). Quo minus nempe inflammatio ab ipſa bile pendet, eo utilior methodus mere antiphlogiſtica eſt. Inflammationibus ex conſenſu evacuantia par ſunt. Et in caſu metaſtaſeos novus bilis affluxus impediendus eſt.

1. Inflammatio oculorum.

Signa Ophthalmitis (a), diatheseos inflammatoriæ & colluviei biliosæ.

Oculorum inflammationem haud raro ex saburra biliosa intestinorum ortum trahere Hippocrates jam docuit (*v. Coac. 208, 225. Aphor. L. IV. 17*). Sola alvi purgatione uno sæpe die oculorum phlogosin profligatam fuisse, quæ frustra aliis medicamentis laborata fuit, adnotarunt Galenus (*Meth. med. L. 13. C. 2*) & Pechlinus (*v. Histor. morb. Vratisl. Ao. 1699. p. 69*) cf. Huxham (*l. c. T. I. p. 341*) & Rahn (*diss. cit. p. 20 seq.*). Ait quidem Whytt ex hac purgantium utilitate haud consequi, inflammationem ex consensu ortam fuisse (*v. Opp. cit. p. 503*). Quum autem hoc in casu signa hujus colluviei manifesta sint, cum porro effectus medicamentorum mera derivatione tam subitaneus esse nequeat, omnino ex consensu hanc ophthalmiam fieri posse, inde deduci simul potest.

2. Inflammatio pharingis.

Cynanche synochalis Sauvages (*l. c. T. I. Ed. in 4to. p. 488*). *Angina biliosa* Foresti (*l. c. L. 15. Obs. 17*). *Febris anginosa* Huxhami (*l. c. T. I. p. 114. T. II. p. 485. T. III. p. 96*). Lentin (*memorab. &c. p. 73*).

(a) p. 118.

Signa inflammationis (*b*) diathefeos phlogifticæ & colluviei biliofæ.

Ex omnibus his auctorum locis colluviem biliofam in hoc morbo fæpe adfuiffe, in eaque evacuanda curationem conftitiffe, patet. BOERHAVIUS quoque repetitam purgationem in hoc morbo fuafit (v. *van* SWIETEN *Comment. II. ad* §. *809*). Quodfi autem fordes turgefcant, majori fructu materia furfum, id eft per vomitum educitur, cujus rationem v. apud BORDEV (*l. c. p. 118 feq.*).

3. INFLAMMATIO PLEURÆ.

Pleuritis ficca biliofa SCHRÖDERI (*v. eiufdem & Hoffmanni diff. de pleur. ficc. diff. p.* 9).

Signa pleuritidis (*c*) diathefeos inflammatoriæ & colluviei.

Defunt hic obfervationes ob morbi indeterminatam apud auctores notionem.

4. INFLAMMATIO PLEURÆ ET PULMONUM.

An pleuritis biliofa HIPPOCRATIS? (*v. de morb. L.* 3. *S.* 19). *Pleuritis biliofa* FORESTI (*L.* 16 *Obf.* 27. *fchol. & obf.* 28,

(*b*) p. 119.
(*c*) p. 122.

35). TISSOTI (*Avis au peuple Ch.* 20. & *Lettres à Mr.* ZIMMERMANN *sur l' épidémie courante*). HUXHAM (*l. c. T. I. p.* 313). D' ARLUC (*Recueil periodique T. VII. p.* 134, 171). CLEGHORN (*Observ. on the epidemical diseases in Minorca p.* 242, 245). SYDENHAM (*C.* 5. *Art.* 1).

Hic quoque pertinent Pleuritis biliosa SAUVAGES (*l. c. p.* 470), Pleuritis erysipelatosa ejusdem (*l. c. p.* 472). Hujus indolis quoque pleuritis, a LENTINO (*in Observ. F.* 2. *Obs.* 1.) descripta, erat, quamvis diathesin putridam & inflammatoriam non rite distinxit. Hic quoque sine dubio illa epidemia febris pleuriticæ referenda erit, quam GRIMM (*von der Epidemie zu Eisenach*) descripsit, etiamsi, illam ex biliosarum classe fuisse, haud credat. Vomitus enim biliosi, prostratio appetitus, cutis & sanguinis color flavus, linguaque sordida, bilis cooperationem satis probant. Auctor quidem ea ex ratione de indole biliosa epidemiæ dubitat, quoniam declinante febre quandoque diarrhœa, ægros valde debilitans, incidebat. Monet vero GLASSIUS (*l. c. Ed. Holl. p.* 109) quod ex neglectis vomitoriis in defervescentia febris diarrhœa consequatur, qua æger, jam morbo debilitatus, magis adhuc enervatur, & sudores lenes præpediantur. Remissio tandem fervoris febrilis, quæ semper colluviem sordidam in primis viis suspicari licet, opinioni meæ adhuc superaddit pondus. Post sextum quidem diem, febris plerumque continenter progressa est, sed omni probabilitate gaudet, hanc febris prophasin ab ipsorum evacuantium

usu neglecto evenisse. Idem enim PRINGLIUS observavit, si quando nempe febris indoles neglecta fuerat (*v. l. c. p. 170, 172*).

Signa hujus inflammationis & colluviei. Sputa flavescentia. Diathesis phlogistica.

De usu ac necessitate purgantium in pleuritide v. BOUTEILLE *sur l'usage des purgatifs dans la pleurésie*, quæ tractatio reperitur in VANDERMONDE *Journal de Médecine T. X. p. 27.* & GLASS (*l. c. Ed. Germ. p. 72*). Etiam illud BAGLIVI effatum hic inferere liceat, quod in *Appendice ad pleuritidem* (*Opp. Ed. Lugd. p. 140*) posuit: „ Magna, inquit, copia materiæ morbosæ in „ primis viis collectæ, pleuritidem producere, atque „ quotidie fovere valet ". Quam sententiam etiam *van den* BOSCH *affirmat in Histor. constit. epid. vermin. p. 285.* Quod hic morbus cæteroquin eximio fructu etiam sursum educi possit, neotericorum experientia constat, (v. BORDEU *l. c. p. 163. seq.* TISSOT *Lettre sur l'épid. cour. p. 66. seq.*).

5. INFLAMMATIO PULMONUM.

Peripneumonia biliosa FORESTI (*l. c. L. 16. Obs. 46*). TISSOTI (*Avis au peuple Ch. 20*). *Recueil periodique T. VII. p. 79. Amphimerina peripneumonica* SAUVAGES (*l. c. p. 329*). *Peripneumonia ardens ejusdem* (*l. c. p. 496*). HUXHAM *T. I. p. 313.*

Signa inflammationis pulmonum (*d*) & saburræ primarum viarum. Diathesis phlogistica.

6. Inflammatio hepatis.

Signa inflammationis partis hepatis concavæ (*e*) & colluviei primarum viarum. Diathesis phogistica.

Hujus visceris inflammationem plerumque a bile vitiata pendere a priori jam opinari potest. Plerumque autem partem hepatis concavam inflammationi hujus indolis obnoxiam esse, observatio docet, v. Wienholt *diss. de inflamm. occult. p.* 18, 20. & *supra p.* 126. van Swieten sequentia habet: „ Sæpe bilis circa „ præcordia in hepatide hæret, ex qua quandoque ma„ gna debilitas oritur, quum tunc febris a minus peri„ tis maligna dicitur" *v. Comment. III. p.* 86, 125.

7. Inflammatio intestinorum.

v. Giornale di Medicina del S. Ortefchi. Venez. 1767. *T. V. p.* 73. *Colica inflammatoria auctorum.*

Signa inflammationis (*f*) diatheseos phlogisticæ & colluviei biliosæ.

(*d*) p. 129.
(*e*) p. 132.
(*f*) p. 137.

8. INFLAMMATIO INTESTINORUM ET OMENTI.

Febris puerperarum HULME *l. c.*).

Signa supra data (*g*). Lochia colore & quantitate mutata. Colluvies biliosa. Diathesis inflammatoria.

Harum partium inflammatio illam febrim sistit, quæ partum sæpe sequitur, atque sub febris puerperarum nomine cognita est. Id quidem HULME cadaverum sectionibus probavit (*v. l. c. p.* 29 *seq.*), quæ semper intestinorum, nunquam autem uteri inflammationem manifestarunt. Huic morbo secundum auctorem nostrum uteri gravidi pressio, sordidaque primarum viarum colluvies ansam præbent. Ultimæ causæ existentiam sequentibus probat. Sanguinis serum flavo gaudet colore (*p.* 8). Sæpe bilis evomitur (*p.* 6), & haud raro diarrhœa biliosa (*p.*32). Clysteres, emetica & purgantia eximio fructu adhibentur (*p.* 11, 43). Diarrhœa tandem semper bona, plerumque critica (*p.* 8, 25, 54). Hæc indolem hujus febris biliosam satis evincunt. Neque lochiorum obstructio in causa esse potest, quum sæpe, perseverante febri, revertat, nec sanguinis evacuationes tam naturales quam artificiales morbum auferre valeant (*p.* 9.). Plerumque cæterum hanc inflammationem a lactis congestione ad intestina pendere, infra probabo, v. Remittens puerperarum.

9. INFLAMMATIO RENUM.

Symptomata nephritidis veræ (*h*) diatheseos inflammatoriæ & colluviei biliosæ.

(*g*) p. 137. 138. (*h*) p. 134.

Febrim nephriticam haud raro biliofam esse, eique purgantia prodesse, notat Sauvages l. c. p. 504.

10. Inflammatio uteri (i).

v. Sauvages (*l. c. P. I. p. 481*).

Sicut hæmorrhagiæ uteri fæpiffime a colluvie biliofa pendent, fic idem de fubfequenti uteri inflammatione valet.

(i) p. 135.

(2) ERYSIPELAS.

FEBRIS eryſipelatoſa præ aliis a colluvie bilioſa fovetur. Quum autem omnes fere auctores eam febribus exanthematicis adnumeraverint, eorundem obſervationes ibidem allegabo, cf. Schol. p. 143.

3. RHEUMATISMUS.

Symptomata rheumatiſmi inflammatorii (*a*). Signa colluviei bilioſæ & diatheſeos phlogiſticæ.

Hunc morbum ſæpe a colluvie impura in primis viis pendere, ex eo adparet, quod plures auctores evacuantia, ad illum tollendum, ſuaſerint (v. SYDENHAM *Opp. T. I. Ed. Gen. p. 200. Samml. für pract. Aerzte B. 2. St. 2. p. 29*). MUSGRAVE (*de arthrit. ſympt. C. 12. §. 8.*) vehementem & iteratam vomitionem ſuaſit (*cf.* LENTIN *Memorab. &c. p. 55*). In illa colica damnoniorum, quam HUXHAMUS (*T. I. p. 384. & T. III. p. 76.* deſcripſit, ſæpius vexabant dolores rheumatici, qui peracta vomitione ceſſabant, & egometipſe hoc tempore penetrantiſſimum genuum rheumatiſmum ſymptomaticum in febri miliari aluiductione ſubito ſuſtuli. Signa tandem colluviei ſæpe ſatis manifeſta ſunt (v. HUXHAM *T. I. p. 313*). BAGLIVI etiam (*Opp. Ed. Lugd. p. 45.*) hanc cauſam agnoſcit: „Dolores iſchii, inquit, lumborum ex infarctu congeſtio„neque pravorum crudorumque humorum, in meſen„terio orti, ad genua & ultimos digitos ſæpe pro-

(*a*) p. 136. ſeq.

tenduntur". Conferantur etiam HOFFMANNI *Opp. cit. T. II. S. 2. C. 8. §. 7.* BALLON *l. c. p. 282.* SCHRÖDERI & DUGEND *diss. de arthrit. vag. §. 4, 13, 20.* SARCONE *l. c. T. I. p. 107.* SWIETEN *l. c. T. V. p. 667.* STOLL *Rat. med. P. I. p. 20, 94, 103. P. 2, p. 24, 124.* An forsan materia rheumatica ex illa sanguinis parte, quæ ad bilis secretionem e systemate venæ portarum advehitur, ortum trahit? Ita videtur, quoniam in constitutione rheumatica, molimina hæmmorrhoidum rarissime desunt, & medicamenta ecphractica sæpissime prosunt.

(β) CUM CATARRHO.

SIGNA catarrhi (*a*) & colluviei sordidæ in primis viis. Diathesis inflammatoria.

Catarrhos sæpissime & plerumque hujus indolis esse, auctorum testimoniis corroboratum legitur in MAY diss. sub SCHRÖDERI Præf. hab. de amplitudine generis febrium biliosarum. §. 12. & RAHN diss. cit. §. 19. cf. GRANT l. c. p. 477. STOLL Rat. med. P. I. p. 22. P. 2. p. 6.

1. CATARRHUS NARIUM.

v. HUXHAM *l. c. T. I. p. 102, 153.*

Signa colluviei seri in glandulis oris (*b*), & bilis in primis viis. Diathesis inflammatoria.

2. CATARRHUS PULMONUM.

Peripneumonia catarrhalis SAUVAGES (*l. c. p. 498*). *Peripneumonia notha* SYDENHAMI (*l. c. Ed. Gen. P. I. p. 168*). *Febris catarrhalis epidemica* HUXHAMI (*l. c. T. I. p. 103*). GRIMM *von der Epidemie zu Eisenach p. 119.*

Signa colluviei seri in pulmonibus (*c*) & bilis in primis viis. Diathesis inflammatoria.

(*a*) p. 140. (*b*) p. 141. (*c*) l. c.

(γ) CUM DYSENTERIA.

SYMPTOMATA dyſenteriæ, & ſigna colluviei bilioſæ. Diatheſis inflammatoria. Alvus bilioſa, minus cruenta.

Eximio fructu SYDENHAMUS in dyſenteria curanda methodum antiphlogiſticam evacuantibus conciliavit, v. Opp. Ed. Lugd. p. 183. cf. ZIMMERMANN *von der Ruhr &c. p. 326, 385.* Sic etiam PRINGLIUS præcipue vernali tempore indolem inflammatoriam bilioſam dyſenteriæ deprehendit, quamvis bilem pro cauſa haud aſſumit, id quod tamen ex curationis ratione veritati haud abſimile eſſe videtur, quamvis tota cauſæ materialis ſparta haud fungatur (*v. l. c. p. 257, 259*). Ob phlogiſticam conſtitutionem rhabarbara etiam non prodeſt, ſed pulpa tamarindorum, & Cremor Tartari hic majori fructu adhibentur, cf. GRANT l. c. p. 319.

(δ) CUM EXANTEMATIBUS.

AGNOSCUNT nonnulla exanthemata peculiare suum contagium, quod sub omni corporis & aëris conditione ea producit, nec proprie ab alia causa pendent. In indole tamen eorundem modificanda aliæ morbosæ conditiones symbolam conferre valent, ideoque sedulo attendendæ sunt. Id quidem ex supra generatim propositis, atque ex observatione infra in medium proferenda de colluvie biliosa peculiariter constabit. Alia autem dantur exanthemata, quæ haud raro omnem originem ex tali acrimonia biliosa trahere videntur. Præsentia saltem hujus colluviei, & fructus, qui ex ejusdem evacuatione morbo adferuntur, nullam aliam conclusionem admittunt. Hujus indolis ea plerumque exanthemata esse solent, quæ morbo symptomatice accedunt, quamvis ex toto negari nequeat, etiam hujusmodi exanthemata critica esse posse. Tunc autem omnem morbosam materiem simul ad cutim deposuerunt, nec purgantibus revocanda sunt (v. GLASS. *l. c. p. 101*). Ubi tamen exanthemata symptomatica, signa colluviei biliosæ, nullaque peculiaris contagii suspicio, secure non solum sed etiam necessarie evacuantium ope removenda sunt, ac eruptio eorundem prohibenda est. Agnoverunt hanc exanthematum conditionem varii auctores, & verba nonnulla medici magni nominis hic inserere licat: „ Illud, ait van SWIETEN, quod pruritus & exanthemata facit, quandoque in ventriculo & circa præcordia hæret, atque hoc excusso statim evanescunt". v. Comment. II. p. 399. cf. GLASS. l. c. Ed. BALDING. p. 98.

1. PESTIS.

Symptomata Peſtis (*a*). Signa colluviei biliosæ & diatheſeos phlogiſticæ.

Peſtis febrim ſæpe hujus indolis eſſe obſervarunt Forestus l. c. L. 6. obſ. 12. Chenot l. c. p. 63, 146. Schreiber l. c. p. 15. ait: „ Bilis eſt ille liquor hu- „ manus, cui character peſtilens omnium profundiſſime impreſſus eſt". Idem auctor l. c. p. 13. in cadaveribus eorum, quos peſtis jugulavit, veſiculam felleam ſemper bile fluida flaveſcente repletiſſimam vidit. Et maximam tandem vomitoriorum utilitatem (*in obſ. 11. p. 10.*) expertus eſt cf. Samoilovitz l. c. qui ſemper morbo incipiente vomitoria optimo cum ſucceſſu dedit.

2. Variolæ (*b*).

v. Huxham (*l. c. T. II. p. 121, 127*). Schroederi & Fellinger *diſſ. de Variol. diſtributione Goett. 1770. p. 33 ſeq.* Stoll *l. c. P. 2. p. 52.*

Dolores lumborum & inteſtinorum ante eruptionem (*c*). Eruptio difficilior (*d*). Pu-

(*a*) p. 146.

(*b*) p. 148.

(*c*) Hæc ſymptomata Cotunnius præſertim obſervavit, ubi infectio per ſalivam facta eſt, quæ nunc vitiata humores gaſtricos & inter hos bilem ſimul afficit, v. de ſedib. Variol. p. 210.

(*d*) Hoffmannus obſervaſſe refert, quod ſemel, dato emetico, magna glutinis viridis copia dejecta, ac tunc e

ſtulæ confluentes (*e*). Facile diarrhœa conſequitur.

3. MORBILLI (*f*).

v. SYDENHAM *l. c. p.* 32. MORTON *Pyret. de Febr. infl. C.* 3. *p.* 12. TISSOT *Avis au peuple* §. 222, 252. ROSEN *l. c. p.* 223. QUARIN *l. c. p.* 103. MAY *diſſ. de amplit. gen. Febr. bil. p.* 51. FELLINGER *diſſ. de Variol. diſtr. p.* 13 *ſeq.* GRANT *l. c. p.* 375. STOLL *l. c. P.* 2. *p.* 52.

Eruptio retardans, vomitu & diarrhœa prægræſſis. Signa colluviei bilioſæ.

4. FEBRIS SCARLATINA.

v. PLENCIZ *l. c. p.* 163. §. 71. ROSEN *l. c. p.* 419. LENTIN *momorab. &c. p.* 32 *ſeq.* STOLL *l. c. P.* 3. *p.* 5.

ruptio libera facta ſit, quæ antea nimis retardabat, v. Opp. T. II. S. 1. C. 8. p. 63. & p. 66. obſ. IV. Sic etiam COTUNNIUS hoc in caſu purgantia eruptionem promoveri adnotat l. c. p. 212. ſeq. cf. v. SWIETEN l. c. T. V. p. 47.

(*e*) Supra jam adnotavi ex hac externa variolarum facie haud temere couclufionem ad earundem indolem ducendam eſſe. Videtur tamen, puſtulas confluentes in febribus bilioſis reliquis frequentiores eſſe. v. SCHRÖDERI & FELLINGER diſſ. de variolar. diſtribut. &c. p. 11.

(*f*) p. 169.

Symptomata hujus febris (*a*) & colluviei biliosæ.

Vidi anno 1773. in infantibus scarlatinam febrim, magna saburræ primarum viarum copia conjunctam, quam nonnunquam etiam tumor ille leucophlegmaticus secutus est, quem Plenciz ad propria hujus morbi symptomata numerat, quamvis eundem tumorem sub febris miliaris ejusdem indolis decremento observaverim, nec inde exclusive ad hunc morbum pertinere videatur.

5. Febris urticata.

v. *Recueil periodique T. X.*

Signa hujus febris (*b*) & colluviei biliosæ.

6. Essera.

Signa hujus febris (*c*) & colluviei biliosæ.

Interdum hæc exanthemata febres biliosas antecedere adnotat Vogel in Præl. p. 114.

7. Febris erysipelatosa.

v. Forestus *l. c. L. 5. Obs. 22. in schol. ejusdemque Observ. chirurg. P. I. L. 2. Obs. 1.* Galenus *method. med. L. XIV. C. I. de symptom. caus. L. 3. C. 2. l. de purgant. med. fac.*

(*a*) p. 172. (*b*) l. c. (*c*) p. 173.

C. 5. SYDENHAM *Opp. C. 6.* FREIND *Comment. sept. libr.* HIPPOCR. *p.* 50. *Opp. Ed. Paris.* 1735. MEAD *monit. & præcept. med. p.* 17. BIANCHI *hist. hep. T. I. p.* 432. HUXHAM *T. I. p.* 313. *Recueil periodique T. VII. p.* 55. TISSOT *Avis au peuple Ch.* 19. §. 278 *& diss. de febr. bil. laus. Opp. T. I. p.* 125. SCHRÖDERI *& de* ZIEGLER *diss. de febr. eyrsipelat.* §. 7. BROCKLESBY *l. c. vers. germ. p.* 91 *seq.* QUARIN *l. c. p.* 110.

Symptomata erysipelatis (*a*) & colluviei biliosæ. Pustulæ lympha flava turgidæ.

Ex omnibus his auctoribus constat, hanc febrim plerumque biliosæ indolis esse. Curationis & suppurationis rationes id nempe probant. Neglectis enim evacuantibus inflammatio facillime in suppurationem, laudabile pus haud præbentem, abit.

8. FEBRIS MILIARIS (*b*).

Euruptio incerta, haud critica. Signa colluviei biliosæ.

Hanc febrim sæpe in puerperis a sordibus primarum viarum oriri adfirmat HOFFMANNUS, v. Opp. T. II. S. I. C. 3. Obs. 5. Purgantia & emetica ante eruptionem ad eamque prohibendam utilia observavit ALLIONI l. c. p. 143. cf. SYDENHAM de nov. febr. ingress. Op. Ed. Gen.

(*a*) p. 143. (*b*) p. 174.

Ed. Gen. p. 356. van SWIETEN T. II. p. 398. GLASS. l. c. Ed. holl. p. 126. ZIMMERMANN von der Ruhr p. 26, 63, 458. Recueil periodique T. VII. p. 78. SAUVAGES Ed. in 4to. p. 436. SCHULZE von SCHULZENHEIM l. c. p. 15. QUARIN l. c. p. 77. Anno præterito hic Berolini febres miliares grassabantur, ubi colluvies biliosa manifesta non erat, ubi tamen laxantia profuerant, & quando natura statim sub primis diebus alvum frequentem movebat, eruptio miliaris non sequebatur, & febris longe mitiorem decursum observabat. VIOLANTE (de variolis & morbillis p. 136.) sæpe observavit, in variolarum morbo, pustulis jam exsiccatis miliaria erupisse, si quantitas fœcum in intestinis diu hæserit, quo in tempore educta exanthemata non adparuerunt, aut illis jam præsentibus, alvi evacuatione evanuerunt. Bilem in causa esse etiam confirmat DAMILANO *Abhandlung über den Friesel im Piemontesischen. Goett. 1782. p. 19.* In puerperio hæc bilis, irritando, lactis secretionem impedire potest, unde ad sanguinem redit, & sub miliarium prophasi expellitur. Ultimo denique verba neoterici observatoris in medium proferre liceat: Solvitur „ait BRÜNING, Purpura alvi „ fluxu & quidem tutissime. Observata me numerosa „ docuerunt, sæpius, quam quidem creditur, purpuræ „ matrices in primis viis earumque diversoriis hærere; „ quibus exturbatis, morbus hic, velut incantamento „ profligatus, silet sæpe totus". Constit. epid. essend. præfat.

9. FEBRIS APHTHOSA.

Hujus febris facies (*a*) cum colluvie biliosa.

(*a*) p. 178.

Aphthæ febriles adultis consuetæ sunt, & SAUVAGES monente, phlebotomia & catharsi removentur v. l. c. p. 458. STOLL l. c. P. 3. p. 6.

10. FEBRIS PETECHIALIS.

Febris petechizans Germanorum. Purpura symptomatica SAUVAGES *l. c. p. 448. v. Præf. ad vers. germ. Brocklesby von Feldkrankheiten.*

Petechiæ (*b*) cum colluvie biliosa.

Hic petechiæ plerumque ex neglecto evacuantium usu accedunt, & eam tunc speciem sistunt, de qua HAENII dicta valent, quod nempe pravæ curationi ortum debeant. Petechiæ hujus indolis etiam observavit LUDWIG, v. Advers. V. I. P. I. p. 23. Not.

11. FEBRIS BULLOSA.

v. FINCKE *de morb. bil. anom. 1780. p. 111.*
Pemphygus (*c*) cum culluvie biliosa.

(*b*) p. 179.
(*c*) p. 178.

GENUS SECUNDUM REMITTENTIUM GASTRICARUM.

FEBRIS BILIOSA PUTRIDA.

Putrida effluvia tempore humido & calido huic febri ansam præbent (*a*). Signa bilis putridæ in primis viis hærentis, & diathefeos sanguinis putridæ (*b*). Aestus simplicibus putridis acrior (*c*).

Hæmorrhagiæ in hisce febribus frequenter occurrunt, & bilis in iis excitandis magna vi prædita esse videtur, v. Hillary l. c. p. 151. Rosen l. c. p. 448. Differentia iterum inter has febres animadvertitur, quæ in praxi non est negligenda. Oritur hæc febris haud raro ex causa epidemica, qua uno eodemque tempore tam primæ quam secundæ viæ inficiuntur, ita ut omnia mox ad putredinem ruant. Hic pertinebunt febris hungarica (v. Pringle l. c. p. 187.) & pestis, quam Thucydides descripsit (v. *Traité de la peste p. 16*). Hujus speciei febres magna nervorum affectione inci-

(*a*) v. Pringle l. c. p. 83, 85, 324. Huxham l. c. T. I. p. 66. Hillary Observations on the changes of the air and the epidemical diseases in the Island of Barbados. London 1759. p. 147. Lind von den Krankheiten der Europäer in heissen Climaten p. 226. Moultrie diss. de febr. malign. americ. Ed. Balding. p. 6. seq. Brüning l. c. p. 5. Ludwig Adverf. V. I. P. I. p. 32. Londn. Bemerk. T. 4. p. 132, 267.

(*b*) p. 181.

(*c*) v. Sarcone l. c. T. II. p. 105, 109.

dunt, eadem forte ex ratione, quam supra (*p. 189.*) de contagii effectu proposui. Et hæ quidem illæ febres sunt, ubi colluviei biliosæ signa in febris initio manifesta non sunt, sed febri durante obviam prodeunt, ideoque etiam bilem a febri generatam esse, dicitur, quamvis maxima gaudeat probabilitate, contagium primo bilem inficere, quæ tunc, humoribus assimilata, iis infectionem conciliat (*v. p. 224. seq.*). MOULTRIE *diss. de febr. malign. americ. Ed.* BALDING. *p. 11. seq.*

Alia autem hujus febris conditio est illa, ubi sanguis tantum ex bilis putrefactione, & hujus cum sanguine commixtione simul depravatur, quorsum pertinet febris biliosa TISSOTI. Hic quidem colluvies biliosa statim adparet, & pro vera stat causa materiali.

Iterum tandem quoque hic stadium illud, quo vires a nimia debilitate systematis nervosi labascunt (v. HILLARY *l. c. p. 149.*), ab illo, quo vires tantum ex colluviei turgescentia opprimuntur, discernendum est, quod prius quidem, veluti supra monui, febrium nervosarum numero accensendum est (*v. p. 225. seq.*). Sic enim curationis exindeque distinctionis rationes jubent, quum hic evacuantia locum non habeant, & vires prorsus demum exhauriantur, quæ altero in passu, evacuantibus intenduntur.

Quod quidem generatim ad curationem attinet, evacuantibus & antiputredinosis absolvitur. Neque magna, evacuantium ratione, pro modo data febris putridæ biliosæ differentia, diversitas est. Sub omni enim febris conditione colluvies turgescens expellenda est. Hæc quidem turgescentia in febribus contagiosis magis in earundem decremento, in aliis autem plerumque sub initio deprehenditur. Hinc in prioribus leniter laxantibus colluvies e sanguine ad intestina determinanda &

soluta, vel quod idem est, turgescens reddenda est, quum altero in casu hæc bilis turgescentia plerumque ab ipsa natura perficiatur, quæ hic non ita debilitata fuit. Sub omni autem febris conditione evacuantibus incipiendum est. Quamvis enim hæ febres, rationali curatione instituta, sudore & urina demum ad finem perducantur, in vigore tamen, si impuritates nondum ejectæ sunt, sudores nunquam prosunt, sed prorsus demum humores corrumpunt (v. ZIMMERMANN *von der Ruhr p. 24.* STRACK *l. c. p. 149.* LUDWIG *l. c. p. 58.* QUARIN *l. c. p. 62*). Expurgata tamen colluvie, medicamenta antiputredinosa hanc ultimam judicationem optime perficiunt.

De reliquis medicamentis idem valet, quod supra de curanda febri putrida simplici adnotavi (*v. p. 184. seq.*). Acida mineralia hic in initio non prosunt, quoniam alvum adstrictiorem reddunt, nisi forsan sudores symptomaticos mitigare velis, cui proposito optime respondent (v. GRANT *l. c. p. 329, 339*). Quodsi propter nimiam ventriculi irritabilitatem medicamenta per vomitus redduntur, intestina tamen ob spasticam constrictionem colluviem expurgare nequeant, & clysmata locum, quo residet, attingere non possunt, vesicatoria optimum præstant officium, dum spasmum solvunt & intestina ad contractionem disponunt. Siquando ex nimia primarum viarum debilitate nova semper colluvies gignitur, decoctum corticis peruviani propinari potest, qui simul antiseptici medicamenti virtute præditus est. Venæ sectio denique hic æque exitiosa est, præcipue iis febribus, quæ a contagio pendent & tempestate calida grassantur (v. SCHRÖDERI & JUNGSCHULTZ *diss. de V. S. caut. in febr. inst.* §. 11. *seq. cf.* LUDWIG *l. c. p. 51. Lond. Bemerk. T. 4. p. 138.* CLARCK *Beob. p. 90*).

SPECIES.

(A) SIMPLEX (*).

1. *Marsh fever* PRINGLII (*l. c. p.* 173). *Febris putrida* HUXHAMI (*l. c. T. I. p.* 234, 268, 318, 327, 352 & *T. II. p.* 94) *cf.* WINTRINGHAM *l. c. p.* 212. *Amphimerina hungarica* SAUVAGES (*l. c. T. I. p.* 327). CLARK *Beobacht. p.* 81.

Plerique auctores hanc febrim putridam biliosam cum simplici putrida confuderunt, quæ tamen natura & curationis ratione maxime ab invicem recedunt.

2. *Yellow fever* HILLARY (*l. c. p.* 143). *Febris flava putrida* BRUCE (*v.* LIND *l. c. p.* 225). *Febris maligna biliosa Americæ* MOULTRIE (*v. diss. cit. p.* 3). *Vomito pretto* HISPANORUM. *Maladie de Siam vel Fievre de Mattelotte* GALLORUM. *Typhus icterodes* SAUVAGES *T.* 2. *Cl.* 2. *Ord.* 4. *Febris Indiæ occidentalis flava maligna* MAKITTRICK *v. Syllog. select. opusc. med. pract. a* BALDING *edit. Bisset Vers. p.* 17.

(*) p. 105.

Febris acutissima. Ardor magnus oculorum. Anxietas prægravis. Summa debilitas. Vomitus immanis, assiduus bilis nigricantis. Tensio hypochondriorum pressione dolens. Universa cutis flavedo. Hæmorrhagiæ. Et nunc vel cutis humida & crisis, vel coma & mors.

Hanc febrim biliosam putridam esse, ideoque hic pertinere, ex observatione auctorum memoratorum constat. Gradu tantum a præcedenti differt. Hinc etiam curationis ratione ab eo quodammodo recedit. Emetica enim & fortiora purgantia hic locum non habent, quoniam ob maximam materiei acredinem inflammationes ventriculi & intestinorum facillime sequuntur. Conveniunt sub morbi initio fructus tamarindorum, crystalli tartari aliaque laxantia antiphlogistica, clysmata blanda & diluentia, antispasmodica, emollientia, & balnea tepida quæ sensim & sine ulla vehementia materiem solvere, corrigere & extricare valent (v. LIND l. c. MOULTRIE l. c. p. 18). MAKITTRICK quidem ex variis argumentis, hanc febrim biliosæ naturæ esse negat. Lingua enim rarissime sordida est. Per vomitum nil nisi meræ bilis quoddam ejicitur. Caret illa debilitas quæ depravationi primarum viarum ansam præbet, dum sanissimæ atque sensiles constitutiones hoc febri corripiuntur. In cadaveribus sæpe nullum bilis vitium visum est, sicut reliqua viscera abdominalia in statu sano erant (*cf. Samml. für Aerzte B. 2. St. 4. p. 23*). Attamen curationis ratio, hanc febrim vere biliosam esse, evincit, eo tamen discrimine, quod super jam adnotavi p. 254.

(B) COMPLICATÆ (*).

(α) CUM INFLAMMATIONE LOCALI.

INFLAMMATIONES, quæ in his febribus occurrunt, satis diversæ conditionis sunt. Nonnunquam enim in febris initio vera phlegmone adfuit, quæ quidem, mutata febris natura, etiam indolem suam exuit, attamen ortum suum haud prorsus denegat. Alia vice inflammatio hic a bile magis pendet, & haud raro a putredine. Nonnunquam omnes hæ circumstantiæ convenire videntur, ad inflammationem constituendam. Hæc quidem differentia in curatione magnam attentionem haud meretur, quum semper ad febris ipsius naturam respicere debeamus. Neque hinc inde distinctio formanda. Cæteroquin harum febrium inflammationes, ob humorum putridam conditionem, facillime in gangrænam transeunt. Sic etiam bilis, putredine acrior adhuc reddita, partes, quas tangit, facile erodit, & ad gangrænescentiam disponit. Hinc sæpe gangræna deprehenditur, nullis manifestis inflammationis stadii signis prægressis, cf. WIENHOLT diss. cit. de inflamm. occult.

(*) v. p. 107.

1. INFLAMMATIO PHARINGIS.

Angina maligna HUXHAMI (*l. c. T. III. p.* 92). *Ulcerated sore throat* GRANT (*l. c. p.* 549.

Signa putredinis (*a*) colluviei biliosæ & inflammationis faucium (*b*).

Vomitoria hoc in morbo cum fructu adhibuit HUXHAM (*l. c. p.* 112.) de quorum utilitate etiam cf. D'ARLUC (*Recueil periodique T. VII. p.* 62). Etiam in progressu morbi lenia cathartica profuerunt (v. HUXHAM *l. c. p.* 115). Hinc summo jure talis anginæ malignæ conditio ad genus nostrum pertinet. Ejusdem indolis quoque FOTHERGILL (*l. c. p.* 32.) & TISSOT illam observarunt (*v. Avis au peuple p.* 146).

2. INFLAMMATIO PLEURÆ.

v. SCHRÖDERI & HOFFMANNI *diss. cit. de Pleur. sicc. diss. p.* 9.

Symptomata pleuritidis (*c*). Signa putredinis & colluviei biliosæ.

(*a*) p. 181.
(*b*) p. 119.
(*c*) p. 122.

3. INFLAMMATIO PLEURÆ ET PULMONUM.

v. FORESTUS *l. c. L. 16. obs. 28, 35. Pleuritis putrida* SAUVAGES *l. c. p. 471. Pleuresie maligne* TISSOT *seconde lettre sur l'épidémie cour. p. 21. Medical Essays of Edinburgh P. I. V. 5. p. 32.* CLEGHORN *on the epid. diseas. in Minorc. p. 245. pleuroperipneumoniam descripsit; quæ initio biliosa erat inflammatoria, postea autem ad biliosæ putridæ febris indolem propendebat.*

Signa pleuroperipneumoniæ (*d*), putredinis & colluviei biliosæ.

4. INFLAMMATIO PULMONUM.

Peripneumonia typhodes SAUVAGES *l. c. p. 497. cf.* HUXHAM *l. c. T. I. p. 333.* CLEGHORN *l. c.*

Signa peripneumoniæ (*e*), putredinis & colluviei biliosæ.

5. INFLAMMATIO HEPATIS.

v. WIENHOLT *diss. de infl. occult. p. 16. seq.* MOULTRIE *diss. cit. p. 6.*

(*d*) p. 133. (*e*) p. 129.

Signa hepatitidis in parte concava (*f*), putredinis & colluviei biliosæ.

6. INFLAMMATIO VENTRICULI.

v. MOULTRIE *diss. cit. p. 6.*
Signa inflammationis ventriculi (*g*), putredinis & colluviei biliosæ.

7. INFLAMMATIO INTESTINORUM.

v. MOULTRIE *diss. cit. p. 6.*
Signa enteritidis (*h*) colluviei biliosæ & diathesεos putridæ.

8. INFLAMMATIO UTERI.

Metritis typhodes SAUVAGES *l.c. T. I. p.* 481
Signa metritidis (*i*), colluviei biliosæ & putredinis.

(a) RHEUMATISMUS.

v. HUXHAM *l. c. T. I. p.* 272.

(*f*) p. 233.
(*g*) p. 236.
(*h*) p. 237.
(*i*) p. 235.

Signa rheumatismi (*k*), putredinis & colluviei biliosæ.

(β) CUM CATARRHO.

v. HUXHAM *l. c. T. I. p.* 272, 312, 313, 316. Signa catarrhi (*l*), putredinis & colluviei biliosæ.

(γ) CUM DYSENTERIA.

Febris dysenterica putrida ZIMMERMANNI (*von der Ruhr p.* 10, 369). *Dysenteria bilioso-contagiosa* DEGNERI (*v. Histor. med. de dysent. &c.* §. 29). GRANT (*l. c. p.* 315). Symptomata dysenteriæ (*m*), putredinis & colluviei biliosæ.

An hic clysmata aëris fixi conveniunt (v. PERCIVALI *Samml. für pract. Aerzte B.* 2. *St.* 2. *p.* 97), haud credo, quoniam experientia me docuit, aërem fixum alvum & hæmorrhoidalem fluxum movere.

(*k*) p. 144.
(*l*) p. 149.
(*m*) p. 152.

(8) CUM EXANTHEMATIBUS (a).

1. PESTIS.

v. CHENOT *l. c. p. 64.* SCHREIBER *l. c. p. 10 seq.*

Characteres pestis (b), colluviei biliosæ & humorum putredinis.

2. VARIOLÆ.

v. HUXHAM *l. c. T. II. p. 134.* CLEGHORN *l. c. p. 276.* GRANT *l. c. p. 292.*

Differunt ab illis cum simplici putrida febri conjunctis, quod quidem suppurent, sed petechiis commixtæ sint.

3. MORBILLI.

v. QUARIN *l. c. p. 103.* WATSON *Lond. Bemerk. T. 4. p. 112.*

Phænomena febris morbillosæ (c). Signa colluviei biliosæ & diathescos putridæ.

4. FEBRIS SCARLATINA.

v. BRÜNING *l. c. p. 28.*

(a) p. 156.
(b) p. 157.
(c) p. 169.

Characteres hujus febris (*d*). Phænomena putredinis. Signa colluviei biliosæ.

5. FEBRIS ERYSIPELATOSA.

v. VANDERMONDE *Journal de Médécine T. X. p.* 449. & *T. XII. p.* 354. GRANT *l. c. p.* 6, 491.

Signa erysipelatis (*e*), colluviei biliosæ & putredinis.

6. FEBRIS MILIARIS.

v. GLASS. *l. c. p.* 98. BRÜNING *l. c.* LUDWIG *Adv. T. I. P. I. p.* 39.

Signa hujus exanthematis (*f*), putridæ dissolutionis & colluviei biliosæ.

Hic miliaria nunquam fere critica sunt. Anxietatem quidem quodammodo tollunt, sed febrim minime.

7. FEBRIS PETECHIALIS.

Febris nautica HUXHAMI *l. c. T. I. p.* 234. *Gaol fever.* BROCKLESBY *l. c. p.* 205. *vel vers. germ. p.* 134 GLASS. *l. c. p.* 110. LUDWIG *l. c. p.* 38. STRACK *l. c. C.* 6,7. *p.* 133 *seq.*

Maculæ cutis (*g*) cum signis colluviei biliosæ & putredinis.

(*d*) p. 172. (*e*) p. 173. (*f*) p. 174. (*g*) p. 179.

Adfirmat STRACK l. c. p. 111. ſemper colluviem ſordium putridarum in primis viis & quidem in inteſtinis hærere, atque has maculas ſemper ad purgationem indicare. Supra tamen jam monui, hoc pro axiomate practico nondum ſtabiliri poſſe, niſi pluribus obſervationibus corroboratum ſit. Plerumque tamen ſaltim hujus indolis eſſe, experientia omnino docet. Deſcribitur in Hiſt. morb. Uratisl. Ao. 1699, 1700, 1701. p. 3. ſeq. febris petechialis, quæ hujus erat naturæ. Dolor erat in ſcrobiculo cordis, linguaque ſqualida; & ii, quibus alvus adſtricta erat, intenſioribus ſymptomatibus infeſtabantur. Nonnullis vero alvus in fluxum concitata erat, ac excrementa copioſa & fœtida varii coloris rejiciebantur, & in his ſymptomata mitiora erant, per totum morbi curſum. Hinc purgantia maximam præſtabant utilitatem, v. p. 9, 10. Ejuſdem quoque indolis erat epidemia, nuper in Germania graſſata, de quibus v. ſcripta neotericorum & Præf. ad verſ. BROCKLESBY.

8. FEBRIS APHTHOSA.

v. HUXHAM *l. c. T. I. p. 313.* GRANT *l. c. p. 323.*

Aphthæ (*h*). Diatheſis putrida. Colluvies biliosa.

Hic nonnumquam criticæ ſunt.

(*h*) p. 178.

GENUS TERTIUM REMITTENTIUM GASTRICARUM.

FEBRIS CUM COLLUVIE PITUITÆ IN PRIMIS VIIS.

Constitutio aëris frigida & humida (*a*). Mala atque insana diæta sordidumque vitæ regimen (*b*). Alimentorum inopia atque inedia (*c*). Lingua glutinosa substantia alba, quasi lardo obducta (*d*). Nonnunquam os & fauces hac sorditie mucosa obducuntur (*e*). Sanguis glutinosa crusta obtectus (*f*), ex lamellis, humiditatem serosam continentibus, constans (*g*), nec flammam facile concipiens (*h*). Cruor disso-

(*a*) v. Glass. l. c. p. 94. Constitutio pituitosa inflammatoriam sequitur, atque putridæ præcedit, hinc inde transitum ab inflammatorio ad putridum statum facit. v. Grant l. c. p. 172.
(*b*) Sarcone l. c. T. II. p. 10.
(*c*) l. c. p. 39.
(*d*) l. c. p. 100.
(*e*) l. c. p. 126, 150, 170.
(*f*) l. c. p. 155.
(*g*) l. c. p. 194.
(*h*) l. c. p. 94, 99.

dissolutus (*i*). Febris lenta, cum pulsu debili, intermittente (*k*). Urina tenuis limpida (*l*).

Hoc febrium genus, hucusque plerumque neglectum, vel saltim cum biliosis confusum, hodie observatione & genio practico plus simplici vice allegati SARCONE nobis delineatum est. Et quidem ab omnibus aliis natura sua differre, ex hac ejusdem descriptione adparet. Memorata sanguinis glutinosa conditio haud raro cum diathesi phlogistica confunditur, a qua tamen maxime recedit. Ipsa enim sanguinis facies, quæ semper dissolutionis quemdam gradum exhibebat, præcipue tamen ipsius morbi therapia hujus conditionis glutinosæ differentiam manifeste declarant. Maxima etiam arridet probabilitate, hanc colluviem haud proprie in primis viis genitam, sed ibi e sanguine depositam esse (v. GRANT *l. c. p.* 184). Febris porro vehementia illa non adoritur, qua febres veræ inflammatoriæ indolis incidunt (v. SARCONE *l. c. T. II. p.* 190). Neque methodus antiphlogistica ei par est (*l. c. T. III. p.* 192, 224). Sic porro colluviei pituitosæ signa sæpe pro biliosæ symptomatibus habentur, quamvis iterum pathognomonica bilis vitiatæ signa desint, nec effectus correspondeant (*v. l. c. T. II. p.* 152). Methodus e contrario huic febri medendi gluten illud, ejusdemque rationem, qua morbi causam constitit, manifestavit. Prima enim indicatio hujus colluviei in primis viis expurgatio est, qua aperte in sensus cadit (*v. l. c. T. II. p.* 241. *T. III. p.* 70, 186, 215). Sic etiam vesicatoria substantiam

(*i*) l. c. p. 105, 128, 170.
(*k*) l. c. p. 195.
(*l*) l. c. p. 158, 195.

glutinosam separarunt (*l. c. T. II. p.* 163, 172.), & cadaverum tandem sectione, intestina hoc glutine obducta videbantur (*l. c. p.* 141). Ex omnibus his, quae apud sagacissimum epidemiae neapolitanae observatorem pluribus legi possunt, naturalis differentia hujus febrium generis satis constat. Ab hac febri proxime absunt, quas GLASSIUS descripsit, & HUXHAMO praeeunte pro febribus nervosis tradit. Et quidem gradu tantum ab iis, a SARCONE descriptis, differre, ex curationis ratione lucide adparet. Obtinet quidem nonnunquam in febribus nervosis colluvies pituitae, sed tanta copia non adest, ut omnem causae ambitum comprehendere videretur. Ubi enim curationis cardo in hac colluvie expurganda versatur, febris nervosa dici nequit, veluti infra pluribus constabit, sed peculiare genus constituit, magis ex systematis nervosi oppressione quam ex ejusdem debilitate & sensibilitate ortum ducens. Raro etiam eo in gradu occurrit, quo in Italia grassata est. Est enim hic in eadem ratione, uti febris flava americana inter biliosas putridas. Neque pituita ea acrimonia, qua bilis gaudet, praedita est, hinc humores haud aeque facile dissolvit, nec putredo, nisi summum morbi gradum sequitur. Ubi inedia, & alimentorum prava conditio vel inopia in causa non sunt, haec humorum dissolutio, haud saltim eo in gradu, quem SARCONE vidit, non adest.

SPECIES.

(A) SIMPLEX (*).

Febris glutinosa gastrica absque affectione locali Sarcone (*l. c. T. III. p. 182*), v. Glass. *l. c. Ed.* Balding *p. 94, 102, 113.*

(B) COMPLICATÆ.

(α) CUM INFLAMMATIONE LOCALI.

Inflammationes his febribus supervenientes semper stafeos putridæ indolem præ se ferebant, & facillime in gangrænam transibant, hinc eodem medicandi modo iis occurrendum est, cf. Schol. ad inflamm. putr. p. 200. Neque alias facile, nisi in summo hujus febris gradu adparent, quoniam a putredine ortum ducunt, hæc tamen mitiori in statu tam manifeste haud deprehenditur. Quum autem certitudine negari nequeat, pituitæ congestionem ad loca adfecta simul in causa fuisse, hinc eas, tanquam species febrium pituitosarum, inserere volui. An humorum putredo causa inflammationum prædisponens; pituita autem, occasionalis? Sic videtur; inflammationes enim non prius nisi dissoluto sanguine adparuerunt, hinc forte pituitæ quædam copia haud solvitur, & ad loca deponitur, ubi postea inflammationis speciem producit.

(*) p. 105.

1. INFLAMMATIO PHARINGIS.

v. SARCONE *l. c. T. III. p.* 221.
Symptomata anginæ putridæ (*a*). Colluvies pituitosa.

2. INFLAMMATIO PULMONUM.

v. SARCONE *l. c. T. III. p.* 180.
Prophasis peripneumoniæ inflammatoriæ (*b*). Colluvies pituitosa.

3. INFLAMMATIO HEPATIS.

v. SARCONE *l. c. p.* 180, 232.
Characteres hepatitidis (*c*). Colluvies pituitosa.

4. INFLAMMATIO VENTRICULI.

v. SARCONE *l. c. p.* 180, 231.
Signa gastritidis (*d*). Colluvies pituitosa.

(*a*) p. 118. (*b*) p. 128. (*c*) p. 130. seq. (*d*) p. 135.

(β) CUM CATARRHO.

1. CATARRHUS PULMONUM.

PERIPNEUMONIA *spuria atrabilaria* GRANT *l. c. p.* 437.

Constitutio pituitosa. Pulsus parvus, mollis. Plenitudo capitis. Orthopnoea & raucedo. Tussis sicca. Exscreatio denique pituitæ initio albæ & tenacis, postea mollis & flavæ.

Hæc peripneumoniæ nothæ conditio ea esse videtur, quæ omnibus reliquis inter catarrhos supra (*p.* 146, 198, 234) memoratos frequentior occurrit. Quamvis enim materia catarrhalis atque colluvies nostra pituitosa quodammodo convenire videantur, tamen causæ, quæ peripneumoniæ nothæ prægredi solent, magis huic colluviei, quam stasi catarrhali ansam præbere valent. Sicut enim peripneumonia notha haud facile subito atque catarrhorum more contrahitur, sic hæc colluvies pituitosa minus ex mera perspiratione suppressa aliisque acutarum febrium causis, quam potius lente coacervatur. Attamen materies catarrhalis simul complicata esse potest, at quoniam ei proxime accedit, hunc locum de jure præ aliis sibi vindicare affectio memorata videtur.

(γ) CUM DYSENTERIA.

v. SARCONE *l. c.*

Signa dysenteriæ (*a*). Colluvies pituitosa.

Quamvis dubitare liceat, num pituita illa, quæ tanta sæpe copia fluxu dysenterico excernitur, magis ad morbi causas, quam ad ejusdem effectus numerari debeat, nec omnino semper promovenda sit, tamen nonnunquam nulla alia materies morbosa deprehenditur, atque magno levamine quandoque per vomitum ejicitur. Hinc illam, sub hac conditione, febribus pituitosis accensendam esse, autumo. Nec obstat, quod huic pituitæ excretioni adstringentia nonnunquam prosint, testante VOGELIO (*l. c. p.* 248). Præter enim peculiarem corporis conditionem, quæ adesse debet, si hanc medelæ rationem fructu sequi velimus, qua ipsa natura apta redditur ad illam purgationem suscipiendam, cujus munus alias purgantibus perficitur, etiam nil aliud inde sequi videtur, quam vis medicamentorum roborantium, qua causæ materialis ulteriorem genesin perhibent. Ut enim febribus biliosis americanis evacuantia raro conveniunt, partium ad inflammationem proclivitatis ratione (*v. p.* 257), sic diu jam dysenteria protracta, evacuantia noxas inferre possunt, dum irritabilitatem, nimis jam intestinis conciliatam, adaugeant. Sicut autem in casu priori febris natura nihilominus cum biliosis convenit, sic etiam dysenteriæ causa materialis semper eadem est, quamvis sub certa conditione evacuantia noceant.

(*a*) p. 152.

(8) CUM EXANTHEMATIBUS (*a*).

I. MILIARIA.

CHARACTERES exanthematum miliarium (*b*). Colluvies pituitosa.

Hujus indolis miliaria hoc tempore quandoque observare mihi contingit. Nulla bilis vitiosa qualitas aut quantitas manifesta est. Lingua tenui pellicula alba obtecta, in febris vigore nigra, nec facile arida. Emetici ope aut naturæ moliminibus, magna pituitæ copia, nullo manifesto amaro, quin potius acido sapore, ejicitur. Febris quoad pulsum & calorem exigua, versus noctem recrudescens. Eruptio miliarium incerto tempore, haud critica. Urina exacerbatione durante rubra, plerumque pellucida, remissionis tempore, alba, tenuis. Ubi vires haud desunt, diarrhœa valde levans, his deficientibus, clysteres & lenia laxantia magnam colluviei pituitosæ & stercorosæ, nec tamen valde fœtidæ copiam, adstantium obstupescentia, magnaque symptomatum allevatione educunt. Primis viis purgatis, lingua crustam nigram amittit, & febris per urinam ultimo judicatur. Has febres vere hic pertinere, omnia hæc aperte docent. Curationis enim cardo in hac colluviei pituitosæ expurgatione per primas vias versatur, atque nisi constitutio debilis, vel prava curatio naturæ molimina supprimunt, his ipsis morbus hac via solvitur. Sic etiam ipsam hanc pituitam proximam miliarium materiem con-

(*a*) p. 156. (*b*) p. 174.

ſtituere, obſervatio aperte docet, quum febres hujus indolis, eodem tempore graſſantes, proba mox inſtituta medela, nulla ſæpe, vel ſaltim haud copioſa exanthemata præbeant, quæ alias, præcipue ſudoriferis mox in initio perperam adhibitis, copioſiſſime totum corpus occupant, bonamque criſin haud temere, ſed lentam tædioſam tantum admittunt, veluti propria obſervatione vere edoctus ſum. Non autem magna hic ſanguinis putredo ſeſe manifeſtavit. Quamvis enim lingua nigritiem illam contraxerit, quæ de illa teſtatur, tamen ariditate ea non adparet, qua plerumque ſimul in febribus putridis laborat. Hinc gradum minorem generis conſtituti denotat.

(2) FEBRIS PETECHIALIS.

Sæpiſſime SARCONE maculas petechiales in epidemia neapolitana vidit. Dubitare autem licet, an hic gluten illud morboſum, febris genium conſtituens, vel mera humorum diſſolutio in cauſa fuerit. Ultimo in paſſu, hæc morbi conditio ad febres putridas referenda eſt.

2. CUM COLLUVIE VERMINOSA IN PRIMIS VIIS.

CONDITIO corporis debilis. Conſtitutio aëris frigida & humida. Magnus capitis dolor ſupra-orbitalis, radicem naſi & partes fronti vicinas occupans (*a*). Vertigo (*b*). Oculi concavi, lachrymoſi, renitentes; cum pupilla majori conſueta dilatatione ac nigredine (*c*). Narium pruritus & hæmorrhagia (*d*). Aurium ſuſurrus & ſurditas (*e*). Lingua arida, cruſta obvelata fuſca, ſæpe aphthoſa, cum oris fœtido halitu peculiari acido putrido. Salivatio (*f*). Dolor & ſtridor dentium (*g*). Riſus ſardonius (*h*). Pervigilia (*i*). Sopor (*k*).

(*a*) v. van den BOSCH Hiſt. cit. conſt. epid. vermin. §. 56. p. 288 RAHN diſſ. cit. de commerc. inter cap. & viſc. abdom. p. 12.

(*b*) RAHN l. c. p. 69.

(*c*) van den BOSCH l. c. p. 329. RAHN l. c. p. 24.

(*d*) RAHN l. c. p. 35.

(*e*) RAHN l. c. p. 47.

(*f*) RAHN l. c. p. 56.

(*g*) RAHN l. c. p. 54, 66.

(*h*) RAHN l. c. p. 50.

(*i*) RAHN l. c. p. 72.

(*k*) RAHN l. c. p. 80.

Deliria (*l*). Convulſiones (*m*). Appetitus proſtratus. Reſpiratio læſa. Motus cordis inordinatus. Pulſus inconſtans, ſæpe intermittens (*n*). Præcordiorum angor magnus. Dolores vagi artuum. Stranguria. Urina tenuis, limpida, jumentacea (*o*). Alvinæ dejectiones putridæ, ramentoſæ, ſeu vermium putridorum cadaveribus commiſtæ. Febris lenta.

Hæc ſunt ſigna, quibus vermes plerumque ſeſe manifeſtare ſolent, & quamvis de HAEN (*in Rat. med. T. XIV. c. de febr. vermin.*) ea nonnunquam fallacia eſſe, obſervaverit, tamen inde nihil contra eorundem veritatem atque utilitatem conſequitur, dum idem de omnibus aliis morborum ſignis valet, quippe quæ fere nunquam veram definitionem philoſophicam conſtituunt, quoniam conſtantia ea haud adparent, quæ ſignis propria eſſe debet, ſi definitionis notas ſiſtere debent. Hoc ſupra jam datum eſt, & hæc fuit ratio, quod ubique deſcriptiones poſui, definitiones morborum in concreto, hucuſque omnes fere mancas, prorſus negligens. Simul etiam ſymptomata quædam adnotavi, quæ per ſe ad vermes dignoſcendos nil faciunt, quæ tamen, experientia teſte, haud raro unice vermibus originem debent. Vermes haud raro tam irritatione, dum vivent, quam putrefactione, iiſdem mortuis, hominibus

(*l*) RAHN l. c. p. 102.
(*m*) RAHN l. c. p. 117.
(*n*) BRÜNING l. c. p. 42.
(*o*) van den BOSCH l. c. §. 83. p. 321.

morbos concitare, ex his jam apertum eſt. Sic etiam, præcipue quidem in locis uliginoſis, febres accendere, haud parciori obſervatione comprobatum eſt. Hinc meritò in ſyſtemate practico diviſionem præbent, & differentiam naturalem conſtituunt. Maxima enim harum febrium curationis pars vermium extricatione perficitur. Plerumque tamen non unicam harum febrium cauſam ſiſtere, iterum ex medelæ ratione conſequitur, quamvis cum toto morbo ita cohæreant, ut hic, iis neglectis, tolli nequeat (*v. van den* Bosch *l. c. p.* 279). Pro hac ſimul complicatæ cauſæ morboſæ diverſitate nunc etiam varia harum febrium genera a natura conficiuntur, quam in eorundem determinatione, fundamenti noſtri lege, ſequi debemus.

GENUS PRIMUM FEBRIUM VERMINOSARUM.

FEBRIS VERMINOSA INFLAMMATORIA.

SIGNA vermium & diathefeos phlogifticæ (*a*).

SPECIES.

(A) SIMPLEX (*b*).

VAN *den* BOSCH *l. c. p.* 189, 196.

Hic etiam pertinet *febris hectica verminofa* van den BOSCH (*l. c. p.* 127) *cf.* SAUVAGES (*l. c. T. I. p.* 319).

(B) COMPLICATÆ.

(α) CUM INFLAMMATIONE LOCALI.

HÆC inflammationum ratio eadem effe videtur, qua inflammationes e colluvie biliofa exiftunt. Per confenfum nempe materia quædam alicubi defertur, quæ hic inflammationis fpeciem producit. Atque hoc fectione cadaverum varii auctores comprobarunt (*v. de* HAEN *T. XIV. p.* 149. *feq.*). Nonnunquam quidem

(*a*) p. 188. (*b*) p. 105.

vermes, in fublimi inteftino colo hærentes, ibidemque vellicantes, dolorem pleuriticum mentiri poffunt (*v. de* HAEN *l. c. p.* 148.), abfque ulla vera inflammatione. De his autem hic nobis fermo non eft, & ex reliquis facile dijudicari poterit, an vera affectio localis adfit, nec ne.

---

1. INFLAMMATIO OCULORUM.

v. RAHN *diff. cit. p.* 21 *feq.*

Signa ophthalmitis (*a*) & vermium.

2. INFLAMMATIO PLEURÆ ET PULMONUM.

Pleuritis verminofa SAUVAGES (*l. c. p.* 471), *v.* HARDERI *Apiar. Bafil.* 1687. *Obf.* XCVI. *van den* BOSCH *l. c. p.* 107, 190, 288. *de* HAEN *l. c.* T. XIV. *p.* 149. LENTINI *Fafc. obf.* 1. *obf.* 22.

Signa pleuripneumoniæ (*b*) minori in gradu, & vermium.

3. INFLAMMATIO PULMONUM.

v. van den BOSCH *l. c. p.* 261, 269.

Symptomata peripneumoniæ (*c*). Signa vermium.

(*a*) p. 117. (*b*) p. 130. (*c*) p. 128.

(α) RHEUMATISMUS.

Rheumatismus verminosus SAUVAGES (*l. c.* T. II. p. 32).

Symptomata rheumatismi (*a*) mitiora. Signa vermium.

(β) CUM CATARRHO.

v. RAHN *diss. cit. p.* 42.

Signa catarrhi (*b*) & vermium.

(γ) CUM EXANTHEMATIBUS.

Hic eadem valeat, quæ supra de colluviei biliosæ imperio in modificandis febribus exanthematicis dedi, v. p. 227.

1. FEBRIS ERYSIPELATOSA.

v. *van. den* BOSCH *l. c. p.* 179.

Facies erysipelatis (*c*). Colluvies verminosa.

Aphthæ jam supra inter vermium generica signa adnotavi, nec facile singularis speciei prædicatum merentur.

(*a*) p. 144. (*b*) p. 149. (*c*) p. 142.

GENUS SECUNDUM FEBRIUM VERMINOSARUM.

FEBRIS VERMINOSA PUTRIDA.

SIGNA putredinis (*a*) & vermium.

Hæc febrium verminofarum conditio priori frequentior occurrit, quum aëris & corporis conftitutio, quæ vermes facile fovent, putredini quoque anfam præbeant, quam mortua vermium cadavera deinde adaugent.

SPECIES.

(A) SIMPLEX (*b*).

VAN den BOSCH *l. c. p.* 30. *Medic. Comment. Edinb. P.* 2. *p.* 156.

Simplicem hanc febrim nominare liceat, fi quando maxima curationis pars in hac colluvie verminofa expurganda verfetur, quamvis facile concedam, eam haud exclufive in caufa effe, ut generatim fupra jam largitus fum. Adeft nonnunquam peculiare fimul contagium vel miafma epidemicum, cui præcipue orgafmus febrilis originem debet, qui alias ex folis vermibus fortaffe haud adparuiffet. Plerumque etiam colluvies pituitofa fimul complicata eft, vel faltim facile generatur, atque in praxi attendenda eft. Obfervatione tefte hæc pituita, a vermibus orta, peculiari facie ac indole gaudet, & a nonnullis verminofæ (*Wurmfchleim*) epitheto infignitur.

(*a*) p. 181. (*b*) p. 105, 197.

(B) COMPLICATÆ.

(α) CUM INFLAMMATIONE LOCALI (a).

I. INFLAMMATIO PLEURÆ ET PULMONUM.

PLEUROPNEUMONIA *putrido-verminosa* van *den* BOSCH *l. c.* §. 59. *p.* 238.

Signa pleuropneumoniæ (*b*) putredinis (*c*) & vermium.

(β) CUM EXANTHEMATIBUS (*d*).

I. FEBRIS PETECHIALIS.

PURPURA *verminosa* SAUVAGES (*l. c.* T. I. *p.* 449) *van den* BOSCH *l. c. p.* 87, 91.

Maculæ petechiales (*e*). Signa vermium.

c. CUM

(*a*) p. 110. & fchol. p. 200.
(*b*) p. 130. (*c*) p. 175. (*d*) p. 200. (*e*) p. 206.

c. CUM METASTASI LACTIS AD VISCERA ABDOMINIS.

FEBRIS puerperarum SELLE *Medic. clin. p.* 510. *Ejusdem Beiträge zur Naturund Arzeneiwissenschaft P. I. p.* 45, 173. *P.* 2. *p.* 45, 111, 168. *Mémoires de l'Académie des sciences de Paris* 1746. *p.* 160. *Samml. für pract. Aerzte. B.* 8. *P.* 1.

Morbus puerperis exclusive proprius (*a*). Absentia (*b*), vel diminutio, vel retrogressio, vel depravatio lactis mammarum. Abdomen maxime tensum, tactum non ferens. Dolores vagi lancinantes, in tota abdominis regione. Pulsus parvus, spasmodicus. Lochia puriformia alba, raro fœtida.

In puerperio variæ occurrunt febres, quæ natura maxime inter se differunt. Sic uteri læsionem metritis sequitur; sic Eclampsia, febris erysipelacea, febris la-

(*a*) Plerumque secundo ad duodecimum usque diem post partum adoritur. Raro ante febrim lacteam. Rarissime, si unquam, tertia vel quarta puerperii hebdomade prælapsa.

(*b*) Nonnunquam, uti modo dictum, hic morbus febri lacteæ præcedit, aut eam immediate excipit, ita ut secretio in mammis fieri nequeat.

ctea nimia, puerperis solemnes sunt. Sed ab omnibus his morbus ille causæ & curationis habita ratione differt, quem hic sub febris puerperarum nomine constituo. Quodsi enim hoc nomen certæ cuidam morborum speciei imponere velimus, optimo jure illa ita nuncupatur, quæ ex peculiari & puerperis tantum solemni conditione ortum trahit.

Et quidem hujus morbi ratio ita comparata est. Omnes partes, quæ partus & graviditatis tempore hoc vel alio modo afficiuntur, velut partes genitales internæ, intestina & vasa chylopoietica causam hujus febris formalem constituunt. Congestio, vel potius metastatica lymphæ & lactis in his partibus coacervatio summo jure, pro causa materiali habenda est. Hæc metastasis a spasmo producitur, qui varia irritamenta pro causa agnoscit, quæque causæ materialis partem constituunt. Sequentia id ulterius probant.

(1) Post mortem colluvies purulenta in cavitate abdominis reperitur, quæ solius & consuetæ intestinorum & omenti inflammationis productum esse nequit, quoniam (a) hæc inflammatio cum suppuratione nunquam est in ratione directa. Sæpe enim exigua est partium inflammatio, ubi magna puris copia, & vice versa. (b) Has inflammationes sæpe ex humoris extravasat[i] acredine oriri, experientia edoctus sum, dum partes tantum externæ inflammatæ vel erosæ deprehenduntur. (c) Nunquam vel saltem rarissime extra puerperium hæc humoris puriformis collectio intestinorum & omenti inflammationem sequitur. Male ergo arguunt HULME l. c. & LA ROCHE (*Untersuch. über die Natur und Behandlung des Kindbetterinnenfiebers. Mit Anmerkungen von D. Selle*), hanc humoris puriformis collectionem ex sola partium inflammatione oriri. Hæc quidem inter

caufas remotas omnino locum obtinet, morbus vero abfque ea confiftere poteft, reveraque frequenter occurrit. Nec veritate congruit opinio WALTERI (*von den Krankheiten des Bauchfelles und dem Schlagflus*), qui hanc collectionem inflammationis peritonæi effectum effe, affirmat. Nullam enim hujus inflammationis veftigium in cadaveribus deprehenditur, nifi ab ipfa colluvie in abdomine extravafata demum oborta fit. Veriffimum quidem eft, hanc materiem ex peritonæi vafis exfudare; fi quidem eadem ex ratione inteftina, quorum externa fuperficies ab ipfo peritonæo tegitur, fæpe cohæfionem quandam fubeunt, intacta illæfaque inteftinorum fubftantia. A caufa autem longe diverfa hæc exfudatio producitur, neque illa in ipfo peritonæo fita eft, fed a congeftione humorum lymphaticorum proxime pendet.

(2) Hanc materiem lac vel lympham corruptam effe, inde patet, quod (a) morbus fæpe immediate retrogreffionem lactis e mammis fequatur, quod (b) ineunte hoc morbo, lactis depofitio in mammis locum non habeat, (c) quod humor lacteus in mammis corruptus in omnibus qualitatibus cum eo, qui in cavitate abdominali reperitur, fit confimilis, & (d) lactis metaftafes ad alias partes poffibilitatem metaftafeos ad partes abdominis internas eo majori pondere probant, quum omnes hæ partes peculiari nexu inter fe junctæ fint.

(3) Tertio enim, partes genitales internas, quæ femper copiam hujus purulenti humoris continent, in fingulari fympathia cum mammis effe, inter alia, fequentibus docetur: Defunt plerumque menfes, quando lac in mammis eft, & vice verfa haud raro virgines, menftruo fluxu fuppreffo, lactem in mammis fovent; tumores mammarum menftruis fuppreffis aut finitis fem-

per in peius ruunt; Cucurbitulæ ad mammas ad uteri hæmorrhagias sedandas utiles sunt; Lochia sanguinea, ineunte febri lactea silent, febri & lactis secretione finitis quidem redeunt, sed nunc alba sunt, & probabiliter superfluum lactei humoris evehunt; Chorio ab ovo separato, sæpe humor lacteus detegitur, & vasa uteri lymphatica humore lactiformi repleta nonnunquam viderunt ASTRUC *Traité des malad. de femmes T. I. p. 12.* WINSLOW *du bas ventre no. 623. p. 578.* id quod & mihi hoc anno videre contigit, quum uterus discissus humore lacti simillimo turgeret. Huc etiam illa observatio pertinet, quam alio loco (*Beytraege l. c.*) adnotavi, ubi fœminæ gravidæ subito perterrefactæ uno eodemque tempore lac corruptum e mammis simulque ex vagina effluebat. Intestina tandem & vasa chylopoietica proximo nexu cum toto lymphatico systemate cohærent. Non ergo mirandum, quando hæ partes ex lactis secretionis anomalia præcipue afficiuntur.

Negare cæterum nolo, hanc humoris lactiformis collectionem sæpe fieri, ubi nulla fere lactis in mammis secretio antea facta est. Hoc autem theoriæ nostræ fundamentum suffodere minime valet. Hic enim eadem lympha, quæ ad lactis secretionem inservire debuit, alibi congesta fuit, nec mammas contingere potuit. Atque hanc lymphæ congestionem facillime fieri posse, ab ipsis WALTERI experimentis deduci potest, cui semel, quum vasa lymphatica cadaveris in puerperio defuncti injiciebat, ingentem vasorum lymphaticorum uteri copiam detegere contigit (*v. l. c. §. 34*). Quando ergo huic lymphæ, quæ tanta copia ad uterum graviditatis tempore adfluit, uteri contractione obex ponitur, eadem lympha ad alias partes, præcipue ad mammas, congeri debet, nec mirum, hisce obstructis, stagnationes lymphæ in aliis partibus fieri.

(4) Causæ, quæ hanc febrim accendunt, sub aliis circumstantiis lac in mammis corrumpere valent, ita ut eandem acredinem sibi conciliet, quæ in abdominis cavitate post mortem, aut in aliis partibus deprehenditur.

(5) Prima metastaseos causa inflammatio exclusive esse nequit, quoniam morbus noster sæpe longiorem decursum observat. Sic etiam conditio corporis & causarum satis probant, spasmum illud esse, quod huic morbo ansam præbet. Quomodo ex tali spasmodica affectione motus humorum lymphaticorum inversus fieri possit, optime & ingeniose demonstravit DARWIN (*v. Samml. für practische Aerzte B. 6. p. 254. seq.*).

Hæc omnia, hujus morbi naturam extra omne dubium ponunt, simulque probant, HULME l. c. hunc morbum perperam pro vera & nuda omenti & intestinorum inflammatione declarasse. LEAKE (*Observ. on the Child-bed fever*) & HOME (*Clin. Vers.*) multa huic sententiæ opposuerunt, quæ tamen in l. c. (*Beytr. zur Natur-und Arzeneiwissensch. p. 34. seq. & p. 172.*) observationibus & argumentis refutare studui.

Sic etiam in re nil mutat, quod hæc metastasis haud raro febrim sequatur, itaque pro morbi effectu quodammodo habenda sit. Absque enim hac metastasi febris longe alium eumque mitiorem decursum observat, nec periculum illud portendit, quod semper cum hac metastasi conjunctum est.

Ultimo tandem loco adhuc notandum venit, hanc febrim rarissime sporadice occurrere, sed plerumque epidemice sævire. Quando nempe febres biliosæ epidemice grassantur, hæc febris præcipue in puerperio timenda est, atque summa arte omnes motus febriles avertendi sunt.

Hac morbi posita conditione methodus ei medendi

facillime concluditur, Causa enim spasmi solvenda & materia congesta eliminanda est. Primum pro specifica causarum differentia, alterum eo modo perficitur, qui a natura indicatur.

Sequentes hujus morbi species secundum causarum occasionalium differentiam observare mihi contigit.

SPECIES.

I. FEBRIS PUERPERARUM CUM CONSTITUTIONE BILIOSO-INFLAMMATORIA.

v. SELLE *Beyträge etc. p.* 45.

Signa colluviei biliosæ & metastaseos lactis ad abdomen.

Hujus indolis ea est febris, quæ epidemice sævit. Curatio in eadem est ratione, sicut in reliquis febribus biliosis, ea tamen differentia, quod semper antispasmodica reliquis medicamentis subjungenda sint.

2. FEBRIS PUERPERARUM EX ANIMI PATHEMATE.

Sæpius hanc febrim inde oriri & altero in casu depravationem lactis terrorem immediate sequi, observavi (*v. Beytr. P.* 1. *p.* 66, 39. *P.* 2. *p.* 169).

3. EX REFRIGERIO.

Quando nulla epidemica constitutio obtinet, tamen hac ex causa febris sporadice occurrit, sicut idem de

fecunda specie valet. Plures cæterum adhuc dari species, persuasissimum habeo (*Beytr. l. c.*).

4. Ex inflammatione.

Sic inflammatio intestinorum & uteri omnino causæ occasionalis speciem præ se fert; febris puerperarum nomine autem tunc demum hi morbi insigniendi sunt, quando lymphæ lactiferæ congestionem simul contrahunt. Inflammationes intestinorum & uteri vidi (*cf. Beytraege l. c.*) absque omni humorum lymphaticorum extravasatione conjunctas. His autem diebus casum mihi observare contigit, in quo oris uterini læsio, durante partu facta, verissimam lactiformis humoris copiosam extravasationem simulque omnia febris puerperarum phænomena produxit.

Ex omnibus his, specifici, nuper a gallis medicis laudati, pretium judicari potest (*v.* La Roche *l. c. in Append.*). Ipecacuanhæ usus omnino huic morbo competit, quando hæc lymphæ & lactis congestio ab acris colluviei circa præcordia hærentis irritatione pendet. Et hoc præcipue de illa febri, quæ epidemice sævit, & semper fere biliosæ indolis est, valet. Ubi autem causa occasionalis potius in debili ac irritabili nervorum systemate latet, ibi omnes irritationes sedulo vitandæ sunt, & morbus magis sedantibus, emollientibus, temperantibus & blandis diaphoreticis prosequendus est.

S iv

D. EX ULCERE INTERNO.

MORBI *purulenti* SAUVAGES *Cl. XVI. method. aetiolog. T. II. Ed. in 4to. Febres phthisicae* SELLE *Med. clin.* REID *Essay on the nature and cause of the phthisis pulmonalis. Lond. 1782. Sammlung für pract. Aerzte T. X. p. 515.*

Debilitas viscerum (*a*). Tubercula (*b*). Obstructiones viscerum. Suppressio fluxuum sanguineorum naturalium (*c*). Praegressae haemorrhagiae (*d*) & inflammationes (*e*). Exanthemata quondam retropulsa vel retrogressa (*f*). Ulcera externa consueta subito sanata. Acrimonia rheumatica scrophulosa, scorbutica,

(*a*) van SWIETEN Comment. IV. p. 17.

(*b*) Horum natura optime ab Anglo STARCH perscrutata & determinata fuit. Sunt nempe aggregata rotunda, alba, dura, ex toto inorganica, & hac ex ratione nec dolentia neque inflammabilia, quamvis in partibus vicinis inflammationem indeque febrim excitare valeant, v. MICHAELIS Med. Beitraege T. 1. p. 132.

(*c*) van SWIETEN l. c. p. 18. MORTON l. c. p. 149.

(*d*) van SWIETEN l. c. p. 3. MORTON Opp. T. I. p. 129.

(*e*) HIPPOCRATES Coac. N. 188, 195. MORTON l. c. p. 157.

(*f*) MORTON l. c. p. 169.

Labes venerea (*g*). Febris plerumque quotidiana remittens, sudoribus nocturnis colliquativis, pulsu parvo, & urina intense rubra. Corporis consumtio. Facies hippocratica. Excretio humoris albi, lutei, viridescentis, magis vel minus fœtidi (*h*), in aquâ subsidentis (*i*). Tumores pedum. Diarrhœa aquosa vel purulenta.

His febribus puris extricatione & ulceris persanatione medetur. Prius medicamentis perficitur, excretiones earum partium specifice promoventibus, per quas ob loci adfecti conditionem pus evehi potest. Sic in pulmonum exulceratione gummi ammoniacum, oxymel squilliticum, infusa pectoralia &c. in hepatis exulceratione laxantia resolventia, v. c. rhabarbara, salia media &c. in renum ulcere salia diuretica, v. c. sal ammoniacum puris excretionem juvant. Ad exitum puri parandum utilissima etiam sunt fonticuli & setacea, quæ tamen magis suppuratione imminente, quam ea jam diu progressa prosunt. Ad puris generationem impediendam & ulcera prorsus persananda varia medicamenta omni tempore varioque successu adhibita sunt. Multi medici gummata & oleosa balsamica in usum traxerunt, ast tamen alii febris & suppurationis augmentum inde observarunt, si sanguini prius admiscentur. Majoris fructus ea esse, si immediate ad partem adfectam sub fomentationum forma adplicari possunt, observatione constat. Sic Mu-

(*g*) MORTON l. c. p. 145. seq.

(*h*) Odor hic persentisci nec describi potest.

(*i*) Samml. für pract. Aerzte B. 6. p. 231. & MICHAELIS Medic. Beytræge T. I. p. 362.

zelius (*l. c. Samml. I. p. 11.*) oleum terebinthinæ pectoralis decocti ferventis ope in fumos resolvit, atque infundibulo mediante per inspirationem pulmonibus vapores conciliavit. Hinc forte exhalationes ab incensis balsamicis haud spernendæ. Eidem intentioni etiam succus cucumerum majorum, docente Muzelio (*l. c. C. 1.*) & florum bellidis, suadente Vogelio (*l. c. p. 547.*) respondent. Oleum Asphalti nostris temporibus multum laudatum est, expectationi autem non respondet. Idem de semine Phellandrii valet. Roborantia tandem alii laudant, alii prorsus rejiciunt. Medium & hic forte tenere beatum. Quibus his roborantibus puris excretio haud supprimitur, iis ea omnino convenire videntur, quoniam vires amissas restaurant & læsam digestionem meliorem reddunt. Præcipue autem cortex peruvianus ibi adhibendus est, ubi solida nimis laxa, & suppuratio magis ex pituita depravata ortum ducit. Omnibus his morbis generaliter methodo antiphlogistica consulitur, ita ut omnis nova inflammatio impediatur, & puri semper liber exitus conservetur. Ultimo in his omnibus medicamentis adhibendis ad corporis constitutionem & causarum antecedentium variam conditionem maxima cum attentione respiciendum est. Sic exulcerationes ex diathesi scorbutica, labe venerea, miasmate arthritico medicamenta simul, his morbis opportuna sibi vindicant. Sic roborantia ulceribus sanandis, quæ febrim inflammatoriam secuta sunt, haud congruunt, constitutione forte satis adhuc robusta, & ad ebullitionem prona. Sic exanthemata retrogressa balneis, frictionibus, epispasticis &c. revocanda sunt, e. s. p.

Quamvis nunc quidem ex hac curationis ratione nihil ad morbi ipsius naturam deduci potest, tamen facillime perspicere licet, hanc febrium ex suppuratione naturam

non semper unam eandemque esse, sed pro varia constitutione variisque causis præcedentibus admodum differre, quum probabilitate haud careat, etiam ipsum pus pro hac differentia variæ indolis esse. Hinc pro hac causarum differentia, secundum principia ordinationis naturalis, species determinandas esse, patet; quum autem curationis ratio semper simul pro partis exulceratæ conditione differat (1), & morbo sic dicto jam consumato, rarissime curatio causis antecedentibus adaptata institui possit, & tandem hæc divisio hic nimia prolixitate noceret, consuetam divisionem conservare, utilius fore, existimavi.

SPECIES.

1. Exulceratio pulmonum.

v. Phthisis pulmonalis van Swieten *l. c. p. 49. 62. §. 1206.*

Dispositio hæreditaria (*a*). Habitus φθινώδεις (*b*). Tubercula cruda (*c*). Acrimonia scro-

(1) Sic phthisis pulmonalis ex dispositione hæreditaria longe aliam habet medendi rationem, quam phthisis ex renum exulceratione.

(*a*) Fernel Pathol. L. V. C. X.

(*b*) van Swieten l. c. p. 9. Portal hanc dispositionem scrophulosam esse adfirmat, v. Samml. für pract. Aerzte B. X.

(*c*) Hippocr. de morb. L. I. S. 14. Phthisin inde ortam

phulosa (*d*). Diathesis scorbutica (*e*). Constitutio pituitosa (*f*). Compressio pectoris. Respiratio difficilis. Vox rauca. Tussis. Lingua rubra, vel muco nigro obtecta. Sapor ex dulci salsus. Sputum purulentum (*g*).

MORTON Opp. Amstel. 1696. p. 110. scrophulosam nuncupat. cf. STARCK Med. Beiträge l. c. & REID. Samml. für pract. Aerzte l. c.

(*d*) Tubercula scrophulosa ab iis tuberculis, quæ proprie hoc nomine insignienda sunt, natura differunt, cf. STARCK l. c.

(*e*) Duo MORTON adnotat signa, quæ hanc phthisin præsagiunt, eruptionem scilicet frequentem exanthematum herpetis miliaris instar, & exscreationem perpetuam, præcipue matutinam phlegmatis molesti salsi e tonsillis rejecti, erosione gingivarum non raro stipatam, v. Opp. cit. T. I. p. 117. Ex multis autem observationibus mihi constat, eruptiones herpeticas constitutionem scrophulosam indicare, & sic forsan MORTON Phthisin scorbuticam cum scrophulosa confudit.

(*f*) In morbis mucosis & constitutionibus verminosis, pituita sensim ad pulmones deferri, ibidemque exulceratio effici potest, v. van den BOSCH l. c. de phthisi accessoria verminantium, p. 221. Sic etiam catarrhum sæpe febris phthisica excipit. Hæc phthiseos species pituitosa dicitur, & præcipue ei cortice peruviano & aëre fixo medetur, v. MURRAY de Phthisi pituit. in BALDINO. Opusc. med. V. 5. WEBER Op. semiol. p. 142. Vera exulceratio hic quidem non est, tamen, nisi hæc pituitæ depravatio cohibeatur, satis exitiosa evenire potest, cf. SELLE Med. clin. p. 314. ejusd. Beiträge P. 2. p. 7, 110.

(*g*) Sputum purulentum nonnunquam absque omni pulmonum exulceratione contingere, observatione MUZELII, v. Medic. Wahrnehm. Samml. II. obs. 1, 2. HAENII Rat.

2. Empyema.

v. Sauvages *l. c. T. I. p.* 693.

Respirandi difficultas, a pectoris reclinatione crescens. Gravitas diaphragmatis. In corporis circumversione quandoque fluctuatio persentitur. Tussis sicca (*h*).

3. Exulceratio hepatis.

Hepatalgia apostematosa Sauvages *l. c. T. II. p.* 109. *Hectica hepatica v. Hist. morb. Uratisl. Ao.* 1700. *p.* 214.

Dolor hypochondrii dextri compressivus, pulsatilis. Respiratio anhelosa. Color cutis flavescens. Urina rubra, consistentia crassa. Dejectiones jam nimium durae, jam liquidae & spumosae.

med. T. I. p. 87. & Hoffmanni von den Pocken p. 92. constat, sicut vera pulmonum exulceratio absque tussi & sputo esse potest, v. Lieutaud Hist. anat. med. L. 2. obs. 163. Hinc phthises pulmonales ex aliorum viscerum exulceratione. Num caeterum haec materia purulenta contagiosa sit, in dubio est. Morton id affirmat, v. Ejusd. Phthisiol. p. 70. Portal variis argumentis contrarium suadet, v. Sammlung für pract. Aerzte B. X. p. 678.

(*h*) Nonnunquam pus absorbetur & per pulmones extricatur, v. supra p. 129.

4. EXULCERATIO LIENIS.

Splenalgia suppuratoria SAUVAGES *l. c. T. II. p.* 112. *Hectica splenetica*, *v. Hist. morb. Uratisl. p.* 215.

Tumor hypocondrii finiftri. Palpitatio lienis. Dyfpnœa. Decubitus in dextrum latus moleftior. Color faciei & corporis luridus & fublividus. Pedis finiftri intumefcentia dura, cum dolore contuforio. Anxietas cum mœftitie & morofitate.

5. EXULCERATIO PANCREATIS.

v. TULPII *Obf. L. IV. C.* 33.
Præcordiorum anxietas.

Hujus vifceris exulceratio haud raro abfque ullis fignis manifeftis locum habet, id quod ex ejufdem in cadaveribus reperta coalitione cum ventriculo apertum eft.

6. EXULCERATIO RENUM.

Nephralgia purulenta SAUVAGES (*l. c. T. II. p.* 115). *Hectica nephritica*, *v. Hist. morb. Uratisl. p.* 216.

Gravitas continua in lumbo alterutro. Cru-

ris ſtupor. Urina deponit materiem fluidam albam, mucidam, lacteam, cruentam.

7. Exulceratio uteri.

Hyſteralgia ulceroſa Sauvages (*l. c. T. II. p. 123*).

Dolor in infimo ventre. Effluxus humoris purulenti.

8. Exulceratio omenti.

Hectica omentalis. Hiſtor. morb. Uratils. p. 216.

Abdomen circa regionem umbilicalem duriuſculum, ſubtumidum.

Et hic morbus rariſſime per ſe exiſtit. Nec ſtatus ille hic pertinet, qui in puerperis poſt mortem videtur, dum perperam auctores materiem purulentam omenti ſuperficiem obtegentem pro hujus partis ſuppurationis effectu habuerunt, quæ non alio modo niſi lymphæ corruptæ extravaſatione producitur.

9. Exulceratio Meſenterii.

Hectica meſaraica, v. Hiſt. morb. Uratisl. p. 217.

Tenſio ac gravitas ſubter ventriculum.

10. EXULCERATIO VENTRICULI ET INTESTINORUM.

Hectica ſtomachica & inteſtinalis. *Hiſt. morb. Uratisl. p. 217. Pyroſis ulceroſa* SAUVAGES (*l. c. T. II. p. 84*). *Gaſtrodynia ulceroſa ejuſdem* (*l. c. p. 95*).

Dolor poſt ciborum vel potulentorum ingeſtionem.

De reliquis partium internarum exulcerationibus, quas febris hectica ſequitur, v. Hiſt. morb. Uratisl. p. 217.

ε. EX OBSTRUCTIONE VISCERUM.

DIGESTIO vitiata. Acrimonia febrilis, fcrophulofa (a), venerea. Obftructiones vifcerum. Secretiones & excretiones naturales inordinatæ. Febris lenta chronica. Corporis emaciatio.

Curatio in folvendis obftructionibus, materiam efficientem educendo, atque debilitatis vifceribus robur reddendo, verfatur. Ad priorem indicationem fatisfaciendam plerique medici haud infelici fucceffu falibus mediis interque hæc fale ammoniaco & tartaro tartarifato, nec minus emeticis, parciori in copia, ne vomitus exciterur, ufi funt. Roborantia, præcipue autem corticem peruvianum idem præftare, a medicis haud parvi nominis adfirmatur, inter quos MUZELIUM & FOTHERGILL allegaffe fufficiat. Alteri intentioni Ipecacuanha & rhabarbara præprimis refpondent, &, febri fublata, vires martialibus medicamentis & balneis frigidis optime reftituuntur.

Hæc febris primum ortum fuum ex illis caufis trahit, quæ digeftionis officinam lædunt valdeque debilitant. Turbata tunc digeftione, facillime vifcerum præfertim chylopoieticorum infarctus fequuntur, quibus fecretiones labefactæ, indeque humores impuri redduntur, & hinc tam ex nutritionis defectu, quam ex moliminibus na-

(a) Sic juvenes ex fcrophulofa labe hoc morbo fæpe laborant, v. GRANT l. c. p. 32.

turæ virium, quibus materiem, ex chylo depravato genitam, nec assimilationi susceptibilem, ejicere conata est, quæque tandem exhauriuntur, vires corporis decrescunt, & habitus ejusdem emaciatur. Variæ etiam humorum acrimoniæ hic attendendæ sunt.

Hujus generis febres plerumque hecticarum nomine insigniuntur, quamvis iis simul accensentur, quæ suppurationi internæ originem debent, id quod tamen facile confusioni ansam præbere potest. Non autem huic divisioni omnes febres lentæ vel hecticæ subordinandæ sunt, sed illæ modo hic pertinent, ubi febris constans & essentiale symptoma est.

Iterum & hic species pro causarum materialium differentia ponendæ fuissent. Eædem autem rationes, quas supra dedi (p. 277.) hic etiam valent.

SPECIES.

1. Hectica hepatica.

Tabes *hepatica* Sauvages (*l. c. T. II. p.* 449) *cf. Edimb. Verſ. T. IV. Art.* 47. *Obſ.* 5.

Tumor in hepatis regione (*a*). A paſtu dolor epigaſtrii.

2. Hectica mesenterica.

Tabes meſenterica Sauvages (*l. c.*). *Pædatrophia* Vogelii (*l. c. p.* 534.).

Voracitas aut appetitus omnino proſtratus. Ventris tumor partialis.

Hectica chlorotica, phthiſis nervoſa, tabes dorſalis, maraſmus ſenilis & aliæ hujus genii proxime his natura accedunt, quoniam autem conſuetis febrium ſignis deſtitutæ ſunt, hic locum non habent.

(*a*) Hoc ſignum plerumque deficit, nec ſemper in cadaveribus, hoc morbo conſumtis, obſtructio manifeſta eſt. Impedita ſanguinis per vaſa hepatis circulatio primum morbi fontem ſiſtit, cujus ſigna autem definitionem huc uſque non admittunt.

ORDO TERTIUS.

ATACTÆ (a).

MAGNA atque præternaturalis partium irritabilitas & sensilitas. Febris inordinata, nec continens, neque regulariter remittens. Symptomata nervosa, nec inter se, neque causis manifestis respondentia (b).

(a) Vocabulum hoc usurpare liceat, quum ob præcedentium denominationem analogica sumenda erat. Legitimatur præterea symptomatum a præcedentium norma aberratione, respondet illi SYDENHAMI spirituum ataxiæ, quæ hisce in febribus quoad symptomata præcipue deprehenditur, & invenitur tandem in *Coacis* HIPPOCRATIS S. I, N. 37.

(b) Hic sequentia pertinent. Certa morbi sensatio absque phænomenis externis. Querularum defectus & indifferentia, ubi symptomata minantia. Nimis mortis metus. Insomnia absque febri & dolore. Exacerbationis atque fervoris tempore pulsus debilior & contractior (v. GRANT l. c. p. 21.). Typus febris inordinatus. Lingua arida absque siti. Lingua humida & sitis magna. Cutis sicca absque calore. Sudores sine levamine. Excretiones spontaneæ vermium. Excretiones absque levamine. Venæ sectio dolores non mitigat, sed singultus eam sequitur. Emetica effectum non præstant, sed facile catharsin producunt.

Hæc febris neotericis sub nomine febris nervosæ satis innotescit. Admodum autem difficilis est propria, perspicua eaque utilis hujus febris determinatio, cujus ratio partim in tenebrosa nervorum cognitione, partim in eo latet, quod, ni fallor, non satis bene hucusque medici hoc febrium genus ab aliis distinxerint. Sub hybrida malignitatis voce quidem plerumque indicatur; quodsi autem recordemur, quotuplex quantaque sit notio, quam medici huic termino affigunt (v. MARCARD *diss. de malignit. febr.*), facile inde deduci potest, quam varia sit harum febrium apud auctores idea, sicut idem de omnibus aliis morbis nervosis valet. Ex supra datis hujus febris characteribus, rite intellectis, facile quoque differentia earundem naturalis intelligi potest; in hac autem notarum ratione difficultas latet, qua fit, ut hæc febris haud rite discernatur, nisi omnis febrium differentia naturalis jam cognita sit. Ex mera enim symptomatum nervosorum facie nihil ad febris naturam concludi potest. Sic in febribus biliosis sæpissime symptomata deprehenduntur, quæ omnibus nervosorum denominatione veniunt, eaque ratione jure illam mereri videntur, quoniam perturbatas functiones, a nervoso systemate proxime pendentes, sistunt. Non autem eadem est ratio, qua febres nostræ nervosæ nuncupantur, neque symptomata in febribus biliosis eodem jure nervosorum nomen merentur, quo febres nostræ ita appellamus. Et hæc generis nostri ratio satis obscura est, & facilius negative quam affirmative describitur. Febrim enim, characteribus supra positis notatam, nulla diathesi humorum phlogistica vel putrida, nullaque colluvie biliosa vel pituitosa in primis viis, nullis tandem viscerum obstructionibus vel exulcerationibus stipatam, vel tamen, si hæc adsunt, haud ea relatione

cum iis connexam, ut pro febris caufa materiali haberi poffint, talem febrim ex atactarum numero effe, haud exigua probabilitate opinari poterit. Ipfa autem ratio, qua ipfa natura febris quodammodo dijudicari poteft, obfervatione phænomenorum & effectuum medicamentorum confentiente, fequens eft. Datur conftitutio corporis, qua, leviffimis caufis accedentibus, phænomena producuntur, quæ alias graviorem caufarum modum ad fui exiftentiam fupponunt. Ubi ergo febris, fymptomatibus nervofis ftipata, nullam caufam ex iis manifeftat, quæ alias febres producere folent, vel, quod idem eft, fi phænomena caufis manifeftis confuetis haud refpondent, ibi febrim nervofam vel atactam effe, adfirmari debet. Hæc fane vera propriaque eft notio, quam huic generi affigere debemus, fi omnem confufionem evitare velimus. Eodemque modo WHYTT hanc morborum claffem ab aliis rite diftinxit, cujus verba hic in medium proferre liceat: „ All difeafes, ait, „ may, in fome fenfe, be called affections of the „ nervous fyftem, becaufe, in almoft every difeafe, „ the nerves are more or lefs hurt; and, in confe- „ quence of this, various fenfations, motions, and „ changes, are produced in the body. However, thofe „ diforders may peculiarly deferve the name of ner- „ vous, which, on account of an unufual delicacy, „ or unnatural ftate of the nerves, are produced by „ caufes, which, in people of a found conftitution, „ would either have no fuch effects, or at leaft in a „ much lefs degree " (*v. Opp. cit. p. 528.*).

In prædifpofitione ergo nervofi fyftematis maxima febrium hujus generis caufæ materialis pars fita eft, & quidem duplex ejufdem eft conditio, cujus diverfitas tum in ordinandis quam in curandis his febribus maxima

attentione observanda est. Primo nempe, ob peculiarem atque præternaturalem irritabilitatem, magna symptomata ex levi causa, quæ in sana constitutione illa haud efficere valet, sæpe producuntur. Hic status morbos chronicos nervosos, sub certaque conditione febres nervosas acutas, infra proprius determinandas, comprehendit. Secundo singularis nonnunquam systematis nervosi debilitas in causa est, qua natura, ad causam quandam levem superandam atque extricandam, impotens redditur. Hic pertinent febres lentæ nervosæ, quæ raro perfectam crisin admittunt. Hinc harum febrium phænomena nonnunquam satis levia atque absque ullo periculo esse videntur, quoniam ex virium cooperationis defectu febris magna non est, quamvis periculo haud vacat. Et hæc est ea conditio, quæ a plerisque medicis maligna vocatur. Neque prorsus hoc verbum rejiciendum esset, si omnes medici hanc ideam unanimiter ei conciliarent. Nec tamen pro febris nostræ synonymo dari potest, quoniam totum earundem ambitum haud complectit. Nonnunquam enim phænomena, sensibus externis conspicua, manifeste atque absque ullo fuco periculosa sunt, & tamen causæ manifestæ haud respondent. Hinc omnino etiam hic status ad febres nervosas referendus est, quamvis proprie malignus dici nequeat, quoniam satis sese manifestat. Hinc hæc vox nulla ratione, ad genus nostrum denotandum, adhiberi potest.

Quum ergo ex hac nervorum morbosa conditione in connubio levis causæ cujusdam occasionalis, omnia oriantur, quæ ad febris conditionem spectant, ex his binis etiam naturam harum febrium constare, consequitur. Quamvis autem causa prædisponens semper adesse debeat, tamen hæc ipsa non semper homini naturalis

fuit, sed nonnunquam febris causarum remotarum productum est. Sic nonnulla contagia specifica vi nervos afficere valent, ita ut, alia adhuc causa interna accedente, febris hujus indolis oriatur, quam contagiorum proprietatem nervis nocivam supra jam adnotavi (*v. p.* 285 *cf. etiam* HUXHAM *l. c. T. II. p.* 105. & SCHWENCKE *Hæmatol. p.* 4.). Hujus indolis tunc nonnunquam pestis vel alia febris contagiosa deprehenditur, de quibus infra. Hæc de causa prædisponente, quæ vel ex idiosyncrasia ægrorum vel ex prægressis causis dijudicanda est.

Quod ad causas occasionales attinet, plerumque in sensus non cadunt, quoniam in ratione effectuum non sunt. Nulla enim manifesta sanguinis depravatio deprehenditur, vel saltim, si aliqua adest, ad febrim haud temere facit (*v.* BRENDEL *diss. de serior. usu evac. in quibusd. acut.* §. 10.), quamvis omnino in statu complicato putredinem haud raro observare liceat. Sic etiam sanguis quandoque inflammatorius repertus fuit, ac tamen repetita venæ sectio nocuit (*v.* HOME *l. c. p.* 194). Nonnunquam etiam bilis vitium adesse videtur, sedulo autem hic status ab illo discernendus est, de quo jam in remittentium ordine mentionem feci, quippe cujus symptomata ex mera colluvie primarum viarum vitiosa ortum ducunt, & probe facta diagnosi, causam expurgando, facile tolli potest. Prosunt quidem quandoque in febribus nervosis sub certis suis conditionibus evacuantia, nequaquam vero cardo curationis in eo versari debet, uti BRENDELIUS (*diss. de phrenit. p.* 9.) affirmavit. Si quando enim talem bilis vel aliarum impuritatum in primis viis orgasmum deprehendimus, ita ut eo sublato, morbus simul tollatur, sane ad hunc ordinem non pertinebit, sed ex remittentium gastricarum genere esse, jure vereque judicandum est. Differt

febrium atactarum curatio, pro supra data earundem diversitate. Ubi enim vires actuositate illa carent, quæ ad materiei expulsionem requiritur, iis roborantibus & alexipharmacis succurrendum est. Ubi autem nimia sensilitas, magnus indeque circulationis orgasmus, omnino temperantibus his febribus propriis, ille sedari debet. Præcipue autem observandum est, per quas vias febris plerumque materiem ejicere conata est. Quum enim, præcipue in febribus lentis nervosis, natura ad crisin perficiendam haud magno satis vigore gaudeat, in hoc opere suffulcienda est. Fateamur cæteroquin lubenter, harum febrium curationem nondum ita comparatam esse, ut veræ doctrinæ speciem præ se ferat. Hucusque diagnosis facilis felixque curatio earundem artificis qualitas occulta est, quæ claram notionem non admittit.

GENUS PRIMUM ATACTARUM.

FEBRIS NERVOSA ACUTA SPORADICA.

Febris incipit intercurrentibus perfrigeriis, tenuique ſudore vix levante, pulſu parvo, imbecillo, duriuſculo, nunc celeri nunc tardo. Dolores artuum & præcordiorum. Pulſatio circa præcordia vel umbilicum. Vox per intervalla acutior vel ſubrauca. Lingua aſpera, ſicca, alba, tremula. Conatus vomendi vel vomitus æruginoſi, in ſcreatus deſinentes. Conatus mingendi inanes. Urina tenuis, limpida. Oculi in unum locum fixi, fulgentes, rubentes, ſqualidi, vel clauſi. Aurium ſonitus. Difficultas auditus, vel ſolito acies major. Febris acuta.

Temperantia, venæ ſectio, balnea frigida, veſicatoria, atque excitantia vel cardiaca in curatione adhibenda ſunt (*v.* Vogel *l. c. p. 43. ſeq.*). Sed his in febribus medendi ratio difficillime docetur. Medici ingenium hic vim ſuam manifeſtare poteſt.

SPECIES.

1. PHRENITIS.

PHRENITIS BRENDELII (*v. diss. de phrenit.*) SCHRÖDERI (*v. Feinii diss. de indole ac sede phrenit. et paraphr.*) *et* VOGELII (*v. l. c. p.* 41 *seq.*)

Vigilium pertinax cum oblivione eorum, quæ audiunt, vel ipsimet dicunt. Delirium furiosum, permanens, prænotante plerumque difficili ac convulsoria deglutitione.

Hunc morbum phrenitidem HIPPOCRATIS esse, neque cerebri vel menyngum vel diaphragmatis inflammationem, docentibus cadaverum sectionibus, pro causa agnoscere, supra jam adnotavi (*v. p.* 126. *seq. &* 138. *seq.*), cf. etiam VOGELIUM l. c. Crisium ratio idem corroborare videtur, dum morbus haud raro hæmorrhagia vel alvi fluxu judicatur. De curatione v. VOGEL l. c. SARCONE l. c. T. II. p. 220. seq. Semel hunc morbum observavi, ubi Tænia pro omni probabilitate irritamenti locum tenebat (*v.* SELLE *Beyträge &c. p.* 25).

2. FEBRIS SOPOROSA.

Typhus comatosus SAUVAGES (*l. c. T. I. p.* 312.) LETHARGUS VOGELII (*l. c. p.* 48)

cf. MORGAGNI *de cauf. ac fed. morb. Epift. 6. Art. 2.* & GRIMM *von der Epidem. zu Eifenach p. 130.*

Febris incidit magna in fomnum propenfione, fed irrequieto, pavoribus interrupto & magis delaffante.

Febris nervofa acuta, quæ medium tenet locum phrenitidem inter & febrim foporofam, defcripta legitur in Hift. morb. Uratisl. 1702. p. 40. feq.

3. HYDROPHOBIA.

Hydrophobia fpontanea SAUVAGES (*v. l. c. T. II. p. 235*) & VOGELII (*l. c. p. 73*). TRIBOLET DE LA LANCE *de Hydroph. fine morfu præv. in Opufc. Bald. V. I. p. 236.*

Potulentorum averfatio. In eorundem deglutitione fumma anxietas & convulfiones. Sitis ingens. Spuma oris cum infuperabili defiderio illam in alios exfpuendi.

Hydrophobiam ex morfu canis rabidi ad affectiones nervofas referendam effe, plerique medici conveniunt, inter quos recentiorum nonnullos allegare fufficiat (v. WHYTT *l. c. p. 549.* NUGENT *Effay on the hydrophobia &c. v. Comment. Lipfienf. V. 5. P. II.* BAUDOT *Effays antihydrophobiques Paris 1770*). Datur autem hydrophobia fpontanea, quæ aliis febribus fymptomatice accedit, inter quas ea tantum hic pertinet, quæ

in febribus nervosis acutis haud raro deprehenditur, qua ex ratione etiam VOGEL eam ad febres malignas recenset. Sic etiam ab abusu potuum spirituosorum observata est (*v. Samml. für pract. Aerzte B. 2. p. 64.* THEDEN *Neue Bemerk. &c. P. 2. p. 162*). An autem cum priori natura consimilis? Num iisdem medicamentis medeatur? Hæc nondum extra dubitationis limites posita sunt. Sufficit nobis, eam nonnunquam in febribus nervosis præcipuum symptoma esse, ideoque hujus speciei existentia legitimatur.

4. FEBRIS NERVOSA ACUTA PUERPERARUM.

v. SYDENHAM (*Opp. p. 425.*) HALL *diss. cit. de febr. p. 32.*

Monet SYDENHAMUS, puerperarum febres acutas sæpe ex constitutione hysterica oriri, neque vehementes evacuationes ferre. Hinc eam hic adnotare volui, quamvis talem morbum proprie febris puerperarum nomine haud insigniendum esse, supra monui (p. 263 seq.).

GENUS SECUNDUM ATACTARUM.

FEBRIS NERVOSA ACUTA EX CONTAGIO.

Febris contagiosa, symptomatibus mere nervosis stipata, vel ob inflictus vehementiam absque ulla manifesta evacuatione necans, vel exanthematibus, in partibus glandulosis prorumpentibus, vel magno sudore, insignita.

Hujus generis sunt febres, quarum causa ad febres nervosas prædisponens a contagio producitur, veluti supra in scholio monui. Duplex autem specialiter conditio hic venit adnotanda. Nonnunquam enim hæc nervorum affectio immediate atque sub prima infectione a contagio admovetur, quandoque autem in morbi progressu nervosum systema demum debilitatur, ita ut in eo roborando inque viribus erigendis omnis curatio versari debeat. Natura ergo hæ conditiones ab invicem quodammodo recedunt, quum posteriori in casu hic status morbosi systematis nervosi simul ab alia causa pendere videatur. Attamen generatim in eo conveniunt, ut maxima adsit nervorum perturbatio, qua vires, ad morbosam materiem eliminandam necessariæ, infringuntur, & ad quam tollendam methodus cardiaca in auxilium vocanda est, ut natura opus suum perficere queat.

SPECIES.

I. SUDOR ANGLICUS.

Hydronosos FORESTI (*v. l. c. L. 6. Obs. 7, 8.*) *cf.* SENNERT (*de febribus L. IV. C. 15.*) *Sudor anglicus* MEADII (*v. Opp. Ed. Goett. 1749. T. II. diss. de peste p. 50*).

Primo invasionis die magnus & immoderatus sudor, cum insigni virium lapsu aliisque symptomatibus nervosis, vel subito necans, vel morbum intra 24 horas solvens.

An huc ephemera britannica referenda sit? Subitaneus morbi insultus & decursus, vitium sanguinis vel primarum viarum in causa fuisse, opinari non jubent, ideoque contagium præsertim nervos afflixisse, probabilitate haud caret, qua ex ratione hanc febrim nostris accensendam esse, credidi.

Ab hac febri autem illa veterum *Elodes* (*de quibus v.* HIPPOCRATIS *Epid. L. 7.*) quam maxime differt, sedulo monente FORESTO (*l. c. & L. 11. Obs. 62.*). Hac enim per plures dies continuata, sudoribus ægros consumsit, quum contrario sudor anglicus vel statim necans vel maxime criticus fuerit. Ex elodum numero fuit febris variolosa SYDENHAMI (*v. Opp. p. 98.*) qua effusissimi sudores ab initio morbi absque ullo levamine adfuerunt. Et sic veteres omnes febres elodum

nomine tradiderunt, quarum præcipuum symptoma sudor erat; quæ autem naturæ ratione valde ab invicem recedunt, neque ullo jure hujus symptomatis ratione hic referendæ sunt.

2. PESTIS ACUTISSIMA.

Species prima CHICOYNEAN (*v. Traité de la peste P. I. p. 37, 224. 242, 244*). *Species septima* CHENOTI (*l. c. p. 68*).

Pulsus parvus, mollis, frequens, inæqualis. Lingua primo alba, postea rubra, nigra & arida. Vomitus æruginosi, atri, cruenti. Oculorum adspectus alienus. Anxietates. Summa virium prostratio. Stupor & abjectio animi. Deliria. Animi deliquia. Convulsiones. Nulla manifesta bubonum vel anthracum eruptio. Mors intra aliquot horas vel ad summum tres dies.

Maxima nervorum perturbatio, in his pestis speciebus deprehensa, atque pro rerum conditione sine omni dubio ex immediata contagii in nervos actione producta, ordinationem earundem ad nervosarum febrium genus satis superque legitimam reddere poterit. Et quidem sequentes rationes hanc immediatam nervorum a contagio affectionem, probare mihi videntur. (1) Biliosa primarum viarum colluvies horum symptomatum causa generaliter esse nequit, quoniam sæpius deest, quamvis, si adest, id quod non raro deprehenditur (*v. Genus febr. remitt.*), omnino statum peiorem reddere valeat, v. CHENOT. *l. c. p. 61. 146, 166.* Vomitus autem

autem bilis viridis vel atræ, hoc in contrarium vertere nequeunt, quin potius sententiam meam firmius stabilire valent. Hanc enim bilis comparationem ex nervorum affectione oriri, plures medici consentiunt, v. SYDENH. *l. c. P. I. p.* 262. CHENOT *l. c. p.* 167. & multis optimorum auctorum testimoniis id ulterius in SCHRÖDERI & STARCK *diss. de alienata bilis qualitate Goett.* 1767. habita, probatum est. Et HIPPOCRATES jam bilis ita comparatæ vomitus, lethales prædixit, v. COAC. *S.* 1. *n.* 100. quo colligi poterit, quod tales vomitus longe ab illis distent, qui a colluvie sordida excitantur. Hujus etiam bilis abundantia, post mortem in primis viis & vesica fellea deprehensa fuit, *v. Traité de la peste p.* 261, 277. (3) Neque semper hæc symptomata a putredine dependere, subitaneus symptomatum inflictus eorundemque sævities jam probant, qua robustissimæ constitutiones correptæ fuerunt, quid! quod hæ majori plerumque periculo obnoxiæ essent, *v. Traité de la peste P. I. p.* 39, 226. Magna porro differentia pestis hanc speciem inter & febres putridas ratione caloris deprehenditur, quippe qui tactu plerumque naturalis adparuit, quamvis interno urens fuerit. Et in hac caloris differentia FORESTUS jam limites pestem inter & febres putridas posuit, v. FOREST. *L.* 6, *Obs.* 2. *in Scholio. Traité de la peste P. I. p.* 38, 250. Occurrit quidem etiam in febribus putridis (*v. stad.* 31. *febr. carc.* PRINGLII *l. c. p.* 311.) talis status, qui tamen, etsi huic proxime absit, tamen in eo ab illo differt, ut non statim ab initio, sed post aliquam febris perdurationem incidat, putredinique superveniat, in hac vero pestis specie symptomata nervosa antecedunt, quibus tunc putredo supervenire potest. *In primo enim impetu pestis, quem edit, nullum alicujus hu-*

morum corruptelæ, cui hæc *symptomatum sævities adscribi queat, adest indicium*, v. CHENOT. *l. c. p. 42.* Et hæc differentia in medela non est levis momenti, dum illa nervorum adfectio, quæ putredini supervenit, averti potest, id quod in peste igitur fieri nequit, quoniam prima contagii actio in nervos ruit. (4) In plerisque tandem cadaveribus, quibus apertis non solum viscera, sed etiam cerebrum & nervi destructa gangrænosaque reperta fuerunt (*v. Tr. de la peste p. 1.*), nullus fœtor, uti in putredine esse solet, deprehensus fuit (*v. Tr. de la peste p. 262.*), quin potius humorum aciditas prævalere videbatur, dum bilis exscreata, acido gaudebat sapore (*v. Tr. de la peste p. 255*). Ex quibus omnibus satis hujus pestis speciei a febribus putridis differentia magnaque ejusdem cum febribus atactis vel nervosis affinitas constare poterit. Qui non nescit, quid BRENDELIUS febris malignæ vocabulo insignire voluerit, ille hunc mecum consentientem videbit, in *diss. de febr. part. §. 14.* ubi pestem ad febres malignas refert, & in *diss. de paraphr. & febr. malign. cognat. §. 14.* dicentem: *Pestem procul dubio nihil aliud esse, quam paraphrenitidis speciem, singulari quodam contagio enatam.* MEAD. *opp. Ed. Goett. T. II. de peste p. 34.* etiam credit, contagium in succum nervosum agere (*cf. Traité de la peste p. 75.*). PRINGLE *p. 337. & supra p. 186.* (5) Medelæ tandem methodus, etsi proh dolor! rarissime, in his nempe pestis speciebus, ex voto succedebat, prosperior tamen præ aliis cum ea in febri nervosa adhibenda, convenit, quæ nempe in vomitoriis, diaphoreticis, cardiacis &c. consistit, quibus adhuc cortex peruvianus accedit, quippe quem non solum CHENOTUS (*l. c.*) sed etiam alii perutilem invenerunt, v. MORTONI *Opp. append. 20. Ex hist. febr.*

Ao. 1658, 1691. MAKENZIE *neues bremisches Magaz.* *T. II. p.* 300.

3. FEBRIS NERVOSA PUTRIDA.

Febris pestilentialis GRANT *neue Beob. p.* 24.

Supra jam monui (*v. p.* 179.), febribus putridis contagiosis haud raro statum accedere, ubi ob maximam virium dejectionem summamque nervosi systematis debilitatem methodus alexipharmaca instituenda est. Et quamvis hujus numeri febres a praecedenti specie, indolis & morbi decursus ratione haud parum abhorreant, nunc tamen, si ad hunc gradum pervenerint, eadem medendi methodo indigent. Simul enim complicata putredo has species separare videtur. Non autem putredo, per se spectata, hujus conditionis causa materialis esse potest, quoniam antiputredinosa statum peiorem reddunt. Quoniam ergo haec febris putridae conditio medelam, febribus nervosis propriam, postulat, natura cum iisdem hac ratione etiam convenire, consequitur. Unde autem unius ejusdemque contagii diversa vis, qua nunc primo nervos, nunc mox humores afficit? An constitutiones nonnullae vi contagii, nervos laedenti, resistere valent? An hoc contagium putredine humorum aptius redditur, ut nunc nervos facilius afficere valeat, quos antea immunes relinquebat? Nonnumquam tum putredo, tum nervorum affectio simul incidunt, quod sequens pestis species probat.

(a) PESTIS.

Species secunda Chicoynean (*l. c. P. I. p. 38, 250, 318*). *Species quarta* Chenoti (*l. c. p. 64*) *cf.* Forest. (*l. c. L. 6. Obs. 12*).

Pulsus celer, contractus, inæqualis, premente arteria evanescens. Sitis. Nausea. Vomitus, æruginosi, cruenti vel atri. Æstus interne urens, externe naturalem non superans. Ingens cephalalgia. Oculi torvi vagi. Lingua initio alba, deinde nigra. Deliria. Hemorrhagiæ. Petechiæ. Vibices. Bubonum & anthracum eruptio, acrius vero dolentium, nigrescentium, facillimeque in gangrænam transeuntium.

Hæc pestis conditio ita comparata esse videtur, ut contagium tum humores tum nervos simul affecerit, nec inde unum alterius causa vel effectus dici queat, quoniam uno eodemque tempore a contagio producuntur. Experientia autem teste, hoc in passu magis ad nervorum quam ad humorum affectionem respiciendum est, hinc prior etiam magis ad causam materialem vel naturam febris spectare, consequitur, ideoque febribus nervosis merito adnumerari debet.

(*b*) *Stadium tertium febris carcerum* Prin-

GLII (*l. c. p.* 311). *Stadium tertium anginæ malignæ* FOTHERGILLII (*l. c.*). *Stadium tertium febris flavæ malignæ americanæ* HILLARY (*l. c.*).

Hic etiam febris hungarica aliæque febres peſtilentiales pertinent, ubi mox in initio humorum putrida diſſolutio nervorumque ſumma affectio incidunt. Nequaquam quidem generatim tales febres hanc indolem ſervant, ſed plerumque a conſtitutione ita modificantur. Cæterum omnino hujus conditionis determinatio admodum difficilis eſt, quod tamen haud ſyſtemati noſtro, ſed exiguæ humanæ cognitioni phænomenorum eorundemque cauſarum in machina humana tribui debet.

GENUS TERTIUM ATACTARUM.

FEBRIS LENTA NERVOSA.

HABITUS corporis laxus, debilis, sensilis. Causæ prægressæ systema nervosum defatigantes. Incipit levi horrore, cum errante repentino calore, sæpe vix perceptibili, languoris specie, animique dejectione, pulsu celeri, inæquali, nunc forti, pleno, nunc vero & ilico parvo, debili & fere inconspicuo, nonnunquam naturali tardiori, vel non multum ab eo discedenti. Ita status sæpe repit, sine luculento periculo, cum tunc ex improviso symptomata graviora accedant (*a*).

Capitis dolor & gravedo. Vertigo. Nausea. Dolor oppressivus præcordiorum. Vomitiones inanes. Vomitus acidi humoris. Singultus. Lingua initio alba, postea rubra & arida, etsi vix unquam sitis, denique tremulenta. Torporis species, somnolentia, & tamen æger

(*a*) Hoc stadium mitius præcedentis verum ac genuinum hujus febris characterem præbet, unde a febri nervosa acuta differt, sed plerumque vel ob absentiam vel ob imperitiam medici, observationem fugit.

somno destituitur, vel saltim fugax tantum est, soporosus, pavoribus interruptus, non delectans. Oculorum tristior adspectus sordidusque, lucem fugientes. Sternutatio. Calor & horror inæquales, sæpe dum caput ardet, pedes frigescunt. Calor ad contactum, naturalem non superans, interne urens. Sudores fugitivi, gelidiusculi. Urina tenuis, limpida, nonnumquam turbida nec secedens, quandoque autem optima facie critica absque ulla symptomatum alleviatione. Posthæc convulsiones. Delirium manifestius, raro phreniticum, sed tranquillum, labiorum & manuum motibus, oculis intentis, & quasi studiose aliquid adspicientibus. Vires decrescunt, ita ut levissimo sæpe nixu animi deliquia & sudores frigidi adpareant. Extremitates frigescunt. Pulsus tremulus, undosus, intermittens. Aegri in principio valde irritabiles, nunc surdi & stupidi fiunt. Imminente morte delirium comate finitur, excreta invite profluunt, ac universalibus convulsionibus vel morte apoplectica æger e medio tollitur.

Hujus generis conditio ea est, ubi singularis systematis nervosi debilitas adesse videtur, qua natura ad causam quandam occasionalem internam expellendam in

sana constitutione mox subigendam, inepta est, & sic materies ad partes nobiliores metastatice defertur, vel ibidem sensim accumulatur, unde summum periculum, atque, nisi vera crisis sequatur, mors certa imminet. Crediderunt quidem alii, hujus febris naturam in locali quodam vitio sitam esse, quod tamen probabilitate destitutum est. Sic HOME inflammationem cerebri in causa esse, adfirmat, in propriaque observatione nititur. Febris enim lentæ nervosæ specie ipse correptus fuit, atque signa inflammationis cerebri percipere credidit. Unde autem, quæso, determinare potuerit, hæc symptomata haud meræ congestionis versus superiora effectus fuisse? Vidit quidem nonnunquam cerebrum sanguine aut pure turgidum, quod etiam WILLISII experientia jam constabat, attamen probabilius pro morbi sequela vel pro statu complicato, quam pro causa habenda est. Neque ipsa corporis constitutio, causarum præcedentium conditio, & curationis tandem ratio, huic febri, optimis omnibus practicis consentientibus, opportuna, ad talem causam localem indicant. Quamvis enim nec rationi neque experientiæ contrarietur, ex nervosa debilitate stases in systemate vasculoso fieri posse, vereque oboriri, tamen hæ plerumque indole vere inflammatoria expertes sunt, atque, veluti ex morbi hysterici & hypochondriaci analogia concludi potest, magis viscerum abdominalium quam partium nobiliorum obstructiones efformant. Et quamvis quidem porro observatione constet, nonnunquam veras inflammationes cum febri nostra complicatas esse, attamen pro causa materiali haberi nequeunt, neque exinde febris naturam constituunt. Quisnam enim excitantia & roborantia ad inflammationes tollendas idonea esse, dicet? Hæc quidem est methodus, quam optimi practici adoptarunt,

quæque experientia teste atque ratione consentiente huic febri maxime congruit. Vinum apud auctores, ut non solum magna sit in hac febri utilitate, sed etiam optimi præservativi remedii speciem præ se ferat, relatum legitur (*v.* HUXHAM *l. c. T. II. p. 88.* HOME *medic. facts and. Exp. p. 6.* GIBSON *treatise on fevers. Lond. 1769. p. 172. Edimb. Verf. T. V. P. II. p. 734. seq. Lond. Bemerk. T. I. p. 207.*). Unde sane nihil ad hujus causæ existentiam concludi potest. Sique ad auctoritatem provocare velimus, & hinc hujus causæ nullitas adparet. HIPPOCRATIS enim inflammationis cerebri descriptio atque præscripta ejusdem hujus morbi curatio febri nostræ haud respondent, quum expressis verbis vinum prohibeat, methodumque antiphlogisticam suadeat (*v. supra p. 137.*), quæ tamen, uti modo dixi, hujus febris non est. Plerique auctores consentiunt, maximam febrium nervosarum causæ materialis partem in morbosa quadam nervorum conditione latere (*v.* LANGRISH *l. c. p. 330. &* GIBSON *l. c. p. 163*), qui sequentia habet: „I may warrantably conclude, „ ait, that the cause of this fever is some matter af„fecting the nerves, so as sometimes to hinder their „ influence, and at other times to occasion too great „ an exertion of it" (*cf. etiam* LENTINI *Obs. T. II. Obs. 19.*). An hæc nervorum mala conditio cum debilitate hysterica vel hypochondriaca natura conveniat? Sic descriptio hujus febris MANNINGHAMI suadere videtur. Ait enim, hanc febrim in principio sæpe morbi hysterici vel hypochondriaci faciem præ se ferre. Quænam autem hæc sit materia, quæ irritamentum præbet, quod hanc nervorum peculiarem irritabilitatem actuosam reddere valeat, nondum plane cognitum est. Hanc causam occasionalem nonnulli pituitam esse, autumarunt.

Sic HUXHAMUS (*l. c.*) pituitæ putredinem accusat, & GLASSIUS hac ex ratione eas febribus gastricis adnumeravit. Supra autem jam illam febrim quæ a colluvie pituitæ pendet, a nostris separavi, atque rationes dedi, quæ id peragendi, mihi suaserunt (*v. p. 257. seq.*). Facillime quidem in constitutione debili ob læsam simul digestionem pituita generatur, sed hæc potius ad morbi effectus quam ad ejusdem causas referenda est, quum vera febrium nervosarum medendi methodus in impuritatibus primarum viarum expurgandis haudquaquam versetur. Attamen ex toto negare nolo, hanc pituitam quandoque in præsto esse, atque causæ occasionalis genium præ se ferre. Persuasissimum enim habeo, causam occasionalem febrium nostrarum non semper unam eandemque esse, sed pro individuorum ratione admodum differre. Hanc autem differentiam hactenus ignoramus, ardentique desiderio observationes expecto, quibus ad hanc cognitionem pervenire queamus. Nonnunquam materiem arthriticam causam hujus febris occasionalem præbere, sequenti observatione edoctus sum, quæque simul omnem de vera existentia harum febrium sub ea conditione, sub qua eas determinavi; dubitationem sustulit.

Vir quidam a prima juventute hæmorrhagiis per nares perque vasa hæmorrhoidalia laborabat. Ad has sedandas largiter instituta sæpiusque repetita venæ sectio debilitatem illam induxerat, quæ plerumque largas sanguinis rubri evacuationes sequitur. Ante aliquot annos, vigesimo quidem nono ætatis suæ, morbo arthritico universali correptus, iterum illum sanguinis evacuatione prosecutus est, postea ex artis parte fomentationibus, emollientibus & vesicatoriis, a natura autem eruptione miliari solutum. Iterum autem hunc morbum insignis

fluxus hæmorrhoidum excepit, cui varicum, quæ sanguini viam parabant, exstirpatione obicem posuit. Ex omnibus his autem singularem debilitatem una cum magna irritabilitate contraxit, quæ tum ex corporis tum ex animæ conditione manifeste adparebant. Duobus annis præterlapsis febrilis morbi indicia persentiscere cœpit, at quoniam eodem tempore febris putridæ biliosæ species epidemice sæviebat, suum morbum ejusdem indolis esse, autumat. Hinc repetitis primas vias evacuantibus illum profligare studuit, sed incassum. Magna mortis apprehensione, quamvis ambulando, nec peculiarem debilitatem artuum vel alia symptomata sentiendo, duabus septimanis post morbi inflictum præterlapsis, eum reperiebam, nulla alia fere quærela, quam de insomnia, per totum morbi jam stadium protracta. Pulsus mane naturali proxime accedebat, versus vesperum motus febriles, nec vehementes, pulsu haud mali ominis. Ex nimio autem evacuantium usu paulo antea vomitus acidi acerbissimi spontanei secuti erant, quorum conamina semper ex præconcepta opinione, colluviem impuram primarum viarum in causa esse, mechanice suffulserat. Facillime ex omnibus perspiciebam, materiem haud copiæ, nec peculiaris virulentiæ sed morbosi systematis nervosi ratione nocere. Hinc resolventia opiatis commixta, atque vesicatoria ei fundebam, sed omnia evomebat, quæ minimæ irritationi ansam præbere valebant, at quum vesicatorium molesta stranguria, nec camphora neque emollientibus simul adhibitis prorsus prohibenda, sequeretur, & hæc rejecit. Ex propria nunc voluntate magnam corticis peruviani copiam sumsit, atque nocte sequenti, quum somnus, uti semper, eum fugeret, aëri libero sese exposuit, unde, atque corticis simul peruviani ope, pro omni probabilitate,

materia, eodem tempore forte quodammodo perspirans, suppressa & ad partes nobiliores delata est. Sequenti enim die rigore convulsivo universali atque spasmodicis faciei contractionibus paroxysmus incidebat, quem pro mortis instantis apparatu tum ipse tum adstantes habuerunt, ideoque ilico sat larga venæ sectione ei occurrere crediderunt. Quamvis autem hoc remedium sane hic maxime iniquum erat, tamen epispasticis & antispasmodicis internis adhibitis, spasmi remittebant, mentis magis compos reddebatur, sudor profusus sequebatur, atque urina omnem criticæ faciem præ se ferebat. Sequenti die eum e lecto surgentem vidi. Quum autem pulsus febrilis adhuc adesset, nec somnum, quem secure sequi credideram, eum refecisse, doleret, morbum nondum judicatum esse, prævidebam. Et revera versus vesperum paroxysmus revertebat, omnem expectationem meam superans. Universales enim convulsiones per totam noctem eum vexebant, nec largissimus antispasmodicorum efficacissimorum usus eas mitigare, valebat. Attamen versus meridiem silebant. Vesicatoria tum suris tum pectori applicabantur, & camphora, opium, moschus, crocus &c. haud parca dosi interne adhibebantur. Nulla autem critica evacuatio. Post aliquot dies delirium, non autem permanens, sed mox silens. Nunc exacerbatio nulla. Secundum adparentiam febris mitis erat. Pulsus incerto tempore a consueta conditione aberrans, plerumque naturali similis. Nec urina morbosa esse videbatur, quid! quod quandoque criseos signa exhiberet. Spiritus mindereri, vinum, cortex peruvianus aliaque medicamenta & remedia supra memorata sine fructu dabantur. Lingua humida satisque bona, quamvis haud colore naturali. Alvi excretio fere naturalis. Vires haud valde prostratæ. Nec mens pror-

ſus alienata, quamvis ſemper mortis ideam fovens. Sed inſomnia ſemper, atque oculorum ſplendoris imminutio. Sic repit febris per duas ſeptimanas nulla excretione critica ſequenti, quo tempore elapſo ſopor accedit, & more apoplectico æger obiit.

Hanc febrim vere lentam nervoſam fuiſſe, ex hac morbi hiſtoria manifeſte adparet. Et quidem primo ex negativa febris conditione id concludi poteſt. Nulla enim febris inflammatoriæ diatheſeos ſigna exhibuit. Febris erat mitis, longa, haud magna apparenti ſanguinis ebullitione, omniaque deerant, quæ alias febrim inflammatoriam concomitare eique prægredi ſolent. Sanguis e vena emiſſus naturalis faciem præ ſe tulit, cruſtæ pituitoſæ modo quid exhibens. Neque febris putridarum numero accenſeri poterit, ob memoratam ſanguinis conditionem & reliquorum putredinis ſignorum abſentiam. Nulla certe primarum viarum colluvies ſordium in cauſa fuit, quum uſque ad finem ejuſdem ſigna & ſymptomata defuerint. Nulla breviter cauſa materialis, ſymptomatibus reſpondens, detegi potuit. His rationes accedunt, ex quibus ipſam febris indolem nervoſam magis adhuc corroborare poſſumus. Morboſa illa conditio ſyſtematis nervoſi, ex vita morbiſque prægreſſis, ex ipſa ægri conſtitutione, ex curatione tandem haud adæquata quam mox in initio ipſe geſſit, lucide aperta eſt. Concitata ergo febris fuit ab exigua cauſa, corporis conditione autem maxime pernicioſa reddita. His morbi decurſus ratio magnum adhuc pondus ſuperaddere valet. Sæpius nempe evacuationes adparebant, omnem criſeos faciem præ ſe ferentes, abſque ulla tamen levamine ſuccedentes. Sudor enim profuſus paroxyſmis primis finitis cum bono urinæ ſedimento ſuperveniens, magnam dabat ſpem, ut morbo profligando

par foret, quam tamen eventus fefellit. Intrabat postea fluxus hæmorrhoidalis, spem denuo erigens, iterum illam deludens. Suppurabant ulcera artificialia absque omni fructu. Hæc, credo, sufficere possunt, ad morbi indolem dijudicandam. Quænam autem fuit hujus febris causa occasionalis? Hanc materiem arthriticam fuisse, ex aliarum causarum absentia, ex morbo arthritico prægresso, atque ex observatione, materiem arthriticam haud temere corpus, quod semel habitavit, prorsus deserere, haud exigua probabilitate conjecturare licet. Hanc materiem tum ob ipsius acredinem tum propter peculiarem irritabilitatem convulsiones excitasse videtur, neque ea ob contractam simul nervosi systematis debilitatem expelli potuit, partim nocturna ambulatione & nimis præmaturo corticis chinæ usu retropulsa & retenta, & sic ad viscus quoddam nobilius delata atque coacervata est. En morbi historia, quæ generis nostri existentiam extra omnem dubitationem ponere valet.

Quod ad curationem febrium nostrarum attinet, generatim illam determinare non audeo, persuasissimum habens eam pro varia causarum occasionalium conditione, diversam esse debere. Latent autem plerumque hæ causæ, ideoque repetita earundem observatio expectanda est. Id quidem universaliter dari potest, mox in initio roborantia mere adstringentia haud prodesse, quoniam materiei exitum prohibent. Docet hoc ægri nostri historia, atque observatione LENTINI (*l. c.*) idem confirmatur. Evacuantia hic summa cautione instituì debent, nec, si forte sordes adsunt, quæ expelli debent, hoc ad naturam febris facit. Quando enim talis pituitæ condito & abundantia adest, ut in ea tollenda maxima curationis pars versetur, febris hujus generis non est, sed gastricis accenseri debet. Idem

de venæ sectione valet, quæ huic febri proprie nunquam congruit, quamvis, præsertim in constitutionibus epidemicis, status quidam inflammatorius simul complicatus sit (*v.* HOME *l. c. p.* 4, 194. JUNGSCHULZ *diss. cit. de V. S. &c. p.* 42. *seq.*). Frictiones, epispastica leniaque diaphoretica statim sub morbi ingressu adhibenda esse, omnia indicant. Exulcerationes artificiales huic febri potissimum congruere videntur, quid! quod GIBSON observaverit, cutim diuturno recubitu quandoque bono successu gangrænescentiam concepisse, quæ quodammodo critica fuerit (*v. l. c. p.* 176.). Vinum magnæ hic utilitatis esse, supra jam monui, quod pro varia constitutione pro diversaque ægrorum consuetudine seligendum est.

SPECIES.

(A) SIMPLEX (a).

SELLE *Beyträge P. I. p. 72 seq.* (*b*). *Febris hectica maligna* WILLISII (*v. Cerebr. pathol. p.* 65). *Little fever* MANNINGHAMI (*v. the symptoms, nature, causes and cure of the febricula or little fever. Lond.* 1746). *Slow fever* LANGRISH (*l. c. p.* 329). *Nervous fever* GILCHRISTII (*v. Medical Essays and Observ. by a society in Edinburgh T. IV. Art.* 23 & *T. V. P. II. Art.* 48). *Febris lenta nervosa* HUXHAMI (*l. c. T. II. p.* 78) & GLASSII (*c*) (*l. c. p.* 94). *Epidemic low fever* HOME (*d*) (*l. c. p.* 1 *seq.*) *Febris lenta maligna*

(*a*) p. 105.

(*b*) Hic varios dedi hujus morbi casus, qui theoriam nostram optime corroborare valent.

(*c*) Sedulo attendendum est, quod supra jam monui, GLASSIUM nempe, febrim nostram cum ea, quæ a colluvie pituitæ fovetur, confudisse, sicut etiam HUXHAMUS genuinam hujus febris notionem non habuit.

(*d*) Febrim nonnunquam epidemice grassari, hic auctor observavit. An autem natura cum sporadica consimilis? Febrim etiam malignam epidemicam descripsit MORGAGNI (l. c. Epist. 7. Art. 16.) de qua tamen certitudine dici nequit, eam ad genus nostrum pertinere.

maligna Vogelii (*l. c. p. 39 seq.*). *An typhus* Hippocratis? (*v. Epid. L. 7. Ed. van der Linden p. 816, de intern. affect. p. 247*). *An morbus crassus* Hippocratis? (*l. c. p. 257*) *An passio cardiaca* Coelii Aureliani? (*v. de morb. acut. L. 2. C. 32*) *An morbus cardiacus* Celsi? (*e*) (*l. c. L. 3. C. 19*) *An Phthisis nervosa* Mortoni? *An Tabes dorsalis* Hippocratis & *Typhus exhaustorum* Sauvages *hic pertinent*? (*f*).

(b) COMPLICATÆ.

Quum generis nostri notio multis medicis hucusque satis ambigua sit, mirandum sane non est, varias ejusdem modificationes & complicationes itidem indeterminatas esse. Supra jam monui, hanc febrim nunc cum colluvie primarum viarum pituitosa, nunc cum materia arthritica ita connexam esse, ut hæc pro causa occasionali stare possint, nec proprie inde complicationis ideam involvere videntur. Hæc enim ad febris naturam spectant, neque phænomenorum diversitas, a

(e) Omnibus his hunc indolem denegat Vogel (l. c.), quamvis id ob ambiguam hujus febris faciem satis difficile determinari potest.

(f) Majori forte jure hi morbi ad chronicos morbos referuntur, quamvis omnino natura cum febribus nervosis conveniant. Idem de Apoplexia nervosa valet (v. Selle Med. clin. in Cap. de Apoplex).

differenti caufa occafionali ortum ducens, complicati ftatus divifionem præbet. His ergo nondum extra dubitationem collocatis, divifionem fuperftruere non audeo, & eas tantum hujus generis fpecies hic allegabo, quarum phænomena fpecifica a natura febris proprie pendere videntur, quarum exiftentia indubia eft, quæque manifefte in fenfus cadunt. Quamvis enim nonnunquam ftatus quidem inflammatorius vere adfit, nec raro cadaverum fectiones inflammationes locales manifeftaverint, tamen fignis confuetis haud prodeunt, nec facile inde dignofci poffunt. Idem de catarrhis valet. Nonnunquam enim peripneumonia notha hujus indolis effe videtur, quæ tamen plerumque majori forte jure ad febres gaftricas pituitofas refertur. Nonnulla autem exanthemata hujus indolis haud raro occurrunt, quæ hic præ aliis fpecificare liceat.

(α) CUM EXANTHEMATIBUS.

1. VARIOLÆ.

Variolæ cryftallinæ & verrucofæ MEADII (*v. Opp. cit. de Variol. p.* 34, 36) *cf.* HUXHAM (*l. c. T. II. p.* 121, 133, 137, 138). ELLER (*l. c. p.* 136) SCHRÖDERI & FELLINGER *diff. circa variol. diftrib. ratione febr. &c. p.* 31, 50.

Eruptio ultra terminum confuetum protrahitur. Die feptimo vel octavo ftigmata pro-

deunt, quæ lento gradu in papulas pallidas & depressas convertuntur, & loco puris cocti, saniem corrodentem continent, unde pustulæ lymphaticæ vel crystallinæ dicuntur. Humore evaporato vel absorpto, flaccidæ evadunt, & pustulas siliquosas efformant. Nonnunquam nullus humor pustulis inest, & verrucosæ nuncupantur. Urina præter rationem cocta. Pustulæ in artubus prius ac in facie prodeuntes. Deficiens capitis & manuum justis temporibus intumescentia. Nova pustularum copia post alteram erumpens. Salivatio.

Ptyalismum huic variolarum speciei præcipue solemnem esse, observationes docent, eundemque in morbis nervosis quam maxime solitum esse, totidem experientia constat. Quodsi ergo ex analogia concludere liceat, etiam ex hoc phænomeno variolarum indoles nervosa dijudicari poterit, quamvis hanc conclusionem omnino in sodalitio tantum reliquorum febris nervosæ signorum admittat. Sæpe enim salivatio colluviem biliosam vel verminosam pro causa agnoscit (*v. van den* BOSCH *l. c. p.* 242), FELLINGER *diss. cit. p.* 11. An hic contagium causam febris occasionalem constituit? Vel num, uti in reliquis ordinibus, ipsa febris indoles a contagio haud pendet?

2. MORBILLI.

v. HOFFMANN (*Med. rat. syst. C. de morb.*

obs. 7). MORTON *(Exerc. 3. C. 4. p. m. 28 seq. & Pyret. C. de febr. inst. C. 3. p. 12)*. Eruptio lenta.

3. MILLIARIA.

v. HUXHAM *l. c. T. II. p. 87*. GLASS *(l. c. p. 95. seq.)*. PERCIVALL *Philosoph. and medic. Essays*.

Præcedunt spirandi difficultas, anxietas, sudor acidulus, cutis pruritus. Eruptio critica vel saltim levans. Exanthemata semini papaveris similia, mox albas vesiculas, lympha turgidas, effingentia & cum cutis desquammatione exarescentia.

Hæc exanthemata iis præcipue febribus nervosis consueta esse videntur, quæ colluviem quamdam pituitosam in primis viis simul conducunt. Peculiare saltim contagium haud agnoscunt, uti supra jam monui (*v. p. 171*). Differt autem hæc miliarium conditio ab aliis in eo, quod haud raro c isin perfectam perficiant, ideoque cardiacis promovenda sint (*v.* HUXHAM *l. c.*). An hæc differentia copiæ materiei tantum ratione? Sic videtur. In febribus enim biliosis vel mere pituitosis materia nimis magna copia adest, quam ut hac via eliminari posset. Hic autem materia tantum pauca ex toto unaque eruptione ejicitur, & sic febris simul judicatur.

4. SCARLATINA.

v. PLENCIZ *de febr. scarl. p. 19.*

Stadium mitius præcedens. Nulla cutis desquammatio nec tumescentia.

5. PEMPHIGUS.

v. SELLE *Beyträge P. I. p. 103.*

Hæc exanthemata peculiarem attentionem mereri, haud videtur. In febribus nervosis pessimum sunt malignitatis signum.

(β) CUM DYSENTERIA.

Dysenteria malign. v. SELLE *Beyträge P. I. p. 102.*

Hic exigua febris, nullaque phænomena terrentia, nisi indomptabilis alvi fluxus cruentus absque ullo fere fœtore. Diaphoretica & cardiaca mox sub morbi ingressu summa sunt utilitate, & iterum ab hoc morbo plebem curationem suam confortantem abstraxisse, probabile est.

ORDO QUARTUS.

INTERMITTENTES.

Frigore subsequentique calore paroxysmi incidunt, & evacuationibus criticis terminantur. In paroxysmorum intervallis perfecta apyrexia.

De harum febrium natura medici valde adhuc dissentiunt, quum conditiones morbosæ, quas sæpe in febribus intermittentibus observant, earundem causæ materiales exclusive dici nequeant, quoniam haud raro absque febris intermittentis concomitatione deprehenduntur, totidemque in his ipsis febribus prorsus deesse videntur. Quando autem curationis ratio simul in censu fertur, hic dissensus forte levior reddi poterit. Primo quidem febres intermittentes occurrere, diathesin inflammatoriam manifestantes atque ad curationem methodum antiphlogisticam postulantes, observatione constat. An ergo hinc febris natura in hac inflammatoria diathesi latet? Hoc negatur. Sed quoad partem tantum negari deberet. Quodsi ex curationis ratione ad causæ indolem conclusio valeat, omnino hanc diathesin veræ causæ materialis speciem præ se ferre, consequitur. Nondum autem omne id complectit, quod ad febris intermittentis hujus generis naturam concurrit. Febris enim vera inflammatoria ab his satis diversa est, nec sola curatio antiphlogistica ad febrim intermittentem

hujus indolis profligandam sufficit. Ergo aliud adhuc quid diathesi accensendum est, cujus associatione natura demum febris constat. Sic porro multoties febres intermittentes cum colluvie biliosa vel pituitosa observantur, ita ut, hac colluvie neglecta, febres tolli nequeant. Annon hic colluvies impura febris causa materialis? Iterum negatur, quoniam hæc colluvies sæpissime adest, absque febris intermittentis coexistentia, viceque versa totidem febres intermittentes absque hac colluvie occurrunt. Quando autem, si adest, absque ejusdem expurgatione febris haud aufertur, omnino ad causam materialem pertinet. Sed in ea sola natura non sita est, quoniam febris perfecta curatio colluviei expurgatione nondum absolvitur, neque hæc colluvies semper febrim intermittentem producit. Sic porro febres intermittentes cum vermibus, eademque eorundem ad febrim relatione exstant. Hinc sane vel omnia hæc ad febrim intermittentem producendam faciunt, ideoque causarum munus absolvunt, vel nunquam in medicina conclusio formanda est. Quod autem hæc nondum sufficiant, sed peculiaris alia adhuc conditio simul adesse debeat, qua diathesis inflammatoria vel colluvies biliosa vel vermes determinantur aut ita modificantur, ut proprie febrim intermittentem nec alium morbum producant, iterum ex modo dictis adparet. Quænam autem hæc sit, omnino determinatu satis difficile est. Multi medici eam in sanguine quæsiverunt. Patet autem ex iis, quæ supra (*p. 91. seq.*) de febris causa monui, pro omni probabilitate sanguinis ipsius qualitatem vitiosam febres continentes excitare. Huic etiam magis adhuc pondus superadditur, quum observatione constet, febres intermittentes, quo magis corporum & aëris constitutiones ad illas, quæ febres continentes produ-

cere solent, accedunt, eo facilius in continuas transire (*v.* HUXHAM *l. c. T. II. p. 30. seq.*). Sic etiam nullum sæpe manifestum sanguinis vitium deprehenditur. Omnino quidem febrilis paroxysmus a materia in sanguine contenta producitur. Hanc autem materiam semper pluribus vicibus in sanguinem transire, maxima gaudet probabilitate, quum alias febris non prius remitteretur, nisi omnis materia expulsa esset, veluti in continuis observare licet. Ex alio loco ergo reiteratis vicibus materia ad sanguinis massam defertur, ubi mox paroxysmum concitat, quo foras expellitur. Et hanc quidem meteriei fabricam in primis viis esse, plerique medici adfirmant. „Primæ viæ, ait HOFFMANNUS, „ sunt latibulum, in quo vitiosa materia fermenti in„ star hospitatur" (*v. Med. rat. system. S. I. C. 3. §. 9. & C. 2. p. 26*). Eandem sententiam TORTI profert, dum ait: „Fermentum febrium intermittentium „ non sanguini primarie inest, sed vasis Lacteis admi„ scetur, & facta materiæ accumulatione paroxysmum „ excitat" (*v. Therap. spec. L. I. C. 8. p. 90 cf.* LANGRISH *l. c. p. 247, 277*). Magnus febrium intermittentium cum primarum viarum læsione consensus etiam ex multis aliis circumstantiis adparet. Sic NICOLAI exemplum refert, ubi paroxysmi inflictus illum ordinem sequebatur, quo æger cibos sumebat (*v. von kalten Fiebern &c.*). Sic etiam primarum viarum neglecta evacuatio febrium intermittentium ad continuas transitum efficit (*v.* PRINGLE *l. c. p. 170*). Ex omnibus his patet, materiem primo in primis viis paratam esse. Hæc autem materies ipsa colluvies sordida non est, ex rationibus supra adductis. An ergo peculiare contagium? Haud videtur, quamvis hæ febres haud raro epidemice grassentur. Constat quidem observatio-

ne, contagia, quæ alias febres continuas efficiunt, nonnunquam intermittentes producere. Pestis nempe interdum sub febris intermittentis prophasi deprehensa fuit (*v. Traité de la peste T. I. p. 321, 323*). Sic etiam febris variolosa haud raro periodice decurrit (*v.* SCHRÖDERI *Progr. de duob. variol. insit. hist. Goett. 1766. p. 8,* HAEN *l. c. T. II. p. 90.* SARCONE *l. c. T. I. p. 230*). Sed hæc sunt exceptiones, in systemate nihil mutantes. Plerumque nulla contagii suspicio est. Maxima, ut sententiam meam proferam, gaudet probabilitate, hanc conditionem aut qualitatem, qua colluviei pars ad febrim intermittentem producendam apta redditur atque sanguini admiscetur, in peculiari systematis nervosi conditione latere. Quodsi enim observationes illas attendamus, ab intempestivo purgantium usu facillime febris recidivum oriri (*v.* WERLHOFF *obs. de febr. §. 7. p. 24.* van SWIETEN *de febr. interm.* SAUVAGES *Ed. prior. P. II. T. II. p. 272.*), roborantia, si purgationem producunt, curationem haud perficere, & vomitoria, si per alvum effectum edunt, febrim protrahere, probabiliter assumi potest, morbosam quamdam nervorum irritabilitatem primariam involvere febris rationem, quum nemini ignotum fuerit, quanta sit vis purgantium debilitans, nisi a natura indicentur. His magnum accedit animi pathematum in producendis febribus intermittentibus imperium, quippe quæ absque dubio præcipuum effectum in nervos edunt. Hoc etiam probat salubris sæpe Opii usus, præcipue in febribus pertinacioribus. Satis tandem corticis peruviani, in roborando systemate nervoso, virtus cognita est, & quum universalem fere hujus corticis virtutem in sanandis tam ipsis febribus intermittentibus, quam multis aliis morbis periodicis, per tot medicorum magni nominis observationes satis

evictam, nemo facile in dubium vocare potuerit, iterum ex hac ad nervorum affectionem aliquo modo concludere licet. Huic sententiæ illa proxime accedit, quam van SWIETEN de febrium intermittentium ratione exposuit (*v. Comment. II.* §. *757*). Negat quidem SENAC (*von Wechselfiebern. Leipz. 1772. p. 20. seq.*) hanc nervorum in febribus intermittentibus producendis cooperationem; sed absque sufficienti ratione, quum in mali hysterici ad febres nostras comparatione nullam similitudinem deprehendit. Omnino nequaquam hæc nervorum conditio cum ea convenit, quæ in morbis hystericis obtinet, sed ab hac satis distincta est, neque cum ulla alia nervorum læsione, affinitate gaudet. An forte tantummodo nervi primarum viarum vitiati sunt? Hæc fuit sententia WHYTTII, omnium maxime probabilis (*v. l. c. p. 587. seq.*), quam nuper GRANT (*l. c. p. 33.*) etiam adoptavit. Nec hac ex ratione febres intermittentes ad nervosarum genus referendas esse, sequitur. Satis enim hæ febres a nostris differunt. In febribus intermittentibus vires naturæ magna actuositate conveniunt, ad materiam febrilem expellendam, cum in febribus nervosis naturæ vires suppressæ videntur. Hinc hæ nervorum affectiones essentialiter ab invicem recedunt. Neque veluti supra dictum fuit, hæc nervorum mala conditio per se naturam febris constituit, sed alia adhuc causa adesse debet, quæ in hujus nervorum morbosæ conditionis connubio, causam demum febris materialem constituit. Causa ergo prædisponens semper eadem est, occasionalis autem, ut supra monui, satis differt, pro cujus tunc differentia etiam complexa febrium intermittentium natura diversa erit. Pro hac ergo differentia, generalibus nostris principiis jubentibus, genera harum febrium ordinanda erunt, quæ nunc specificare appropero.

GENUS PRIMUM INTERMITTENTIUM.

INTERMITTENS INFLAMMATORIA.

HIEMIS & vernali tempore incidunt (*a*). Constitutio robusta (*b*). Sanguis inflammatorius (*c*). Reliqua signa diatheseos phlogisticæ.

Hanc febrium intermittentium genium in primis neoterici angli determinarunt. Methodus nempe antiphlogistica his febribus necessarie adhibenda est, qua neglecta, hujus generis febres facillime in continuas transeunt (*v.* HUXHAM *l. c.* WINTRINGHAM *l. c. p.* 292, 294. LANGRISH *l. c.* MONRO *l. c. p.* 138. GRAINGER *hist. febr. anom. bat. p.* 66. SENAC *l. c. p.* 219. *seqq.* PRINGLE *l. c. p.* 215. QUARIN *l. c. p.* 127, 132). Temperantium sparta sal ammoniacus hic optime perfungitur, cujus virtus simul antifebrilis satis cognita est. Non autem hæc curatio antiphlogistica ad febrim profligandam sufficit, sed causam tantum occasionalem dirimit (*cf.* HAEN *l. c. T. XI. p.* 53. *seq.*). Hac sublata, ad prædisponentem causam auferendam tunc roborantia in usum trahi debent, quæ antea causam oc-

(*a*) v. WINTRINGHAM l. c. p. 326. HUXHAM l. c. p. 32.

(*b*) HUXHAM l. c. p. 30.

(*c*) Diathesin sanguinis inflammatoriam conspexerunt HUXHAM l. c. p. 32. & LANGRISH l. c. p. 252. & quidem tali modo, ut in quotidianis spissior, quam in tertianis, & in his densior, quam in quartanis fuerit, cf. WINTRINGHAM l. c.

easionalem augere valebant. An hæc febris absque ulla primarum viarum læsione vere occurrat?

SPECIES.

(A) SIMPLEX. (a).

v. Auctores supra allegatos. GRANT *l. c. p. 133. seq.*

(B) COMPLICATÆ.

1. INFLAMMATIO OCULORUM.

v. SENAC *l. c. p. 129.*

Signa ophtalmiæ (*b*). Febris periodica.

2. INFLAMMATIO PLEURÆ ET PULMONUM.

Pleuritis periodica SAUVAGES (*l. c. T. I. p. 473*).

Signa pleuropneumoniæ (*c*). Febris intermittens.

3. INFLAMMATIO PULMONUM.

v. SARCONE *l. c. T. I. p. 211.*

Signa peripneumoniæ (*d*). Febris intermittens.

(*a*) p. 105. (*b*) p. 210.
(*c*) p. 130. (*d*) p. 128.

GENUS SECUNDUM INTERMITTENTIUM.

INTERMITTENS BILIOSA INFLAMMATORIA.

Verni & æstatis tempore incidunt. Cum frigore vomitus biliosi. Signa colluviei biliosæ. Diathesis phlogistica. Paroxysmi plerumque tertiani.

Supra jam colluviem primarum viarum sordidam generatim inter febrium intermittentium causas recensuimus, nec quisque hoc in dubium vocabit, cui haud ignotum est, vomitoria haud raro febrim ex toto auferre (*v.* Grainger *histor. febr. anom. batav. Edimb.* 1753. *p.* 73. *Edimb. Versuche T. IV. p.* 533.). Præcipue autem bilem magnum, in alendis febribus intermittentibus, exercere imperium, observatione constat, ab omnique vere tempore agnotum est (*v.* Galen. *de diff. febr. L. II. C.* 3. Hoffmanni *Med. rat. syst. T. II. P. I. S.* 1. *c.* 1. §. 4, 15. Senac *l. c. p.* 27, 189. Monro *l. c. p.* 191. Medicus *Beobacht. T. I. p.* 50, 67, 71, 106.). Hinc etiam plerique auctores ad febrim tollendam emetica nec sine fructu adhibuerunt. Etiam & hic præcepta Hippocratis valent, in hac scilicet colluvie expurganda naturam sequendam, atque turgescentiæ tempore materiem educendam esse. Hæc autem fordium turgescentia præcipue frigore incipiente deprehenditur, atque haud raro natura ipsi evacuationis

operi par eſt. Illa autem inſufficienti, plures medici artem in auxilium vocarunt, atque frigoris tempore emeticum dederunt, quo naturæ molimina ſuffulcire ſtudebant, cui etiam plerumque ſucceſſus haud defuit (*v. Edimb. Verſuche T. IV. Art. 24. de* HAEN *l. c. T. XI. p. 44. ſq.* SENAC *l. c. p. 227. ſeq.*). Hanc bilis præſentiam etiam adnotavit MEDICUS, ubi tam evacuationibus quam cadaverum ſectionibus ſeſe manifeſtavit (*v. l. c.*). Hæc ſunt, quæ de bile valent. Dantur febres, quæ prorſus fere evacuationibus atque ipſius naturæ moliminum ope tolluntur, neque aliam cauſam ſimul agnoſcere videntur. Plerumque autem conſtitutiones, febribus hujus indolis correptæ, vitium ſimul in humoribus fovent, quod ſymbolam ad febris exiſtentiam confert. Et ſic haud raro in febribus epidemicis intermittentibus vera ſimul ſanguinis diatheſis inflammatoria deprehenditur, quæ maximam in curatione meretur attentionem (*v.* HUXHAM *l. c. T. II. p. 33.* MEDICUS *l. c. T. I. p. 178.*). Præmittenda enim evacuantibus venæ ſectio eſt, ut inflammationes locales prohibeantur, quæ, hac methodo neglecta, facillime ſequuntur. Et hæc eſt ea febris, quam ſub hujus generis determinatione indicare, intendo.

SPECIES.

(A) SIMPLEX. (a)

v. Werlhoff *Obs. de febribus* §. 8. p. 27. Grainger *l. c.* p. 10, 95. Huxham *l. c.* Medicus *l. c.* Stoll *Rat. medend.* P. I. p. 104.

(B) COMPLICATÆ.

1. Inflammatio pleuræ et pulmonum.

Pleuritis intermittens Sauvages (*l. c.*).

Signa pleuropneumoniæ (*b*),

Sauvages, hunc morbum venæ sectione & catharticis sanatum fuisse refert.

(*a*) p. 105. (*b*) p. 131.

GENUS TERTIUM INTERMITTENTIUM.

INTERMITTENS BILIOSA PUTRIDA.

AER humidus & calidus, putridis effluviis inquinatus (*a*). Tempore autumni consuetæ sunt. Signa colluviei biliosæ (*b*). Sanguinis putredo (*c*). Varia symptomata nervosa periculosissima (*d*). Apyrexia brevis (*e*).

Ex his plerumque sunt febres intermittentes, quas medici sub malignarum nomine descripserunt. Nec est, quod paroxysmorum furor miretur, quum omnia correspon-

(*a*) v. PRINGLE l. c. p. 189. HUXHAM l. c. p. 34, 35. GRAINGER l. c. p. 55, 59. SENAC l. c. p. 33. MEDICUS l. c. p. 118.

(*b*) v. Auctores supra citat. QUARIN l. c. p. 121. Ob nervosi systematis adfectionem bilis sæpe præternaturaliter colorata deprehenditur, v. SENAC l. c. TORTI l. c. p. 257. v. SWIETEN Comment. II. p. 54. Plerumque atra bilis evomitur, v. GRANT l. c. p. 488. & in sectionibus cadaverum systema biliferum semper fere morbidum visum est, v. AURIVILL diss. de febr. interm. malign. in Opusc. Balding. V. I. p. 17.

(*c*) v. WERLHOFF l. c. §. 61. p. 23. CLEGHORN l. c. p. 151. MEDICUS l. c. p. 118.

(*d*) v. MEDICUS l. c. p. 24. Malignitas in contagio non est, quoniam rarissime contagiosæ sunt, v. RAYMOND diss. de febr. interm. malign. in BALDING Opusc. V. I. p. 29, 33.

(*e*) v. MEDICUS l. c. p. 100.

respondeant, ad effectum infaustum producendum. Summum hic remedium, colluvie expulsa, est cortex peruvianus tam ob nervorum affectionem, quam putredinis ratione, qui mox in primo intervallo larga dosi adhibenda est (*v.* WERLHOFF *l. c. p. 90, 170.* MEDICUS *l. c. p. 217. seq.*). Omnibus autem palmam praeripit alumen crudum, cujus vim antisepticam & antifebrilem MEDICUS ex practicorum observationibus adnotavit (*v. l. c. p. 227. seq.*). An hic putredo ad causam materialem pertineat? Sic volunt causae antecedentes atque curationis ratio. Quum autem supra jam merito suspicati simus, febrilem materiem, paroxysmo finito, sanguini haud inesse, majori etiam jure hanc sanguinis putredinem a putrida bile ad sanguinem ante paroxysmum delata, atque proprie materiem febrilem constituente, productam, hinc indeque uno cum paroxysmo magis ad effectus quam ad causas referendam esse, concludere licet.

SPECIES.

I*NTERMITTENTES malignae, v. Auctores modo allegat.*

GENUS QUARTUM INTERMITTENTIUM.

INTERMITTENS PITUITOSA.

CONSTITUTIO melancholica. Frigus nunc mite longeque perdurans, nunc vehemens, convulsivum (*a*). Vomitus pituitæ frigore ineunte. Paroxysmi quotidiani & quartani. Hæmorrhagiæ naturales suppressæ (*b*). Obstructiones viscerum.

His febribus primo evacuantia & resolventia, deinde roborantia conveniunt (*v.* SENAC *l. c. p.* 241). Viscerum obstructiones haud proprie ad naturam febris pertinere videntur, quoniam has febres per longum temporis spatium protractas modo sequuntur, id quod etiam sub eadem conditione haud raro de aliis generibus observatur.

SPECIES.

v. LOMMII *Obs. med. p.* 10. SENAC *l. c. Histor. morb. Uratisl. l. c.*

(*a*) Histor. morb. Uratisl. 1699. p. 102.
(*b*) v. HAEN l. c. T. XI. p. 54. seq.

GENUS QUINTUM INTERMITTENTIUM.

INTERMITTENS VERMINOSA.

COLLUVIES verminofa (*a*). Paroxyfmi plerumque tertiani.

Hic primo caufa occafionalis, vermes fcilicet expurgari debent, quo facto fpecifica antifebrilia adhibenda funt.

SPECIES.

v. van den BOSCH *l. c. p. 71, 79.* AURIVILL. *l. c. p. 16.*

Peculiare genus etiam febrium intermittentium conftituere videntur, quæ febres remittentes excipiunt, quæque folius corticis peruviani ope tolluntur (*v.* PRINGLE *l. c. p. 187.* MONRO *l. c. p. 190, 189.* HILLARY *l. c. p. 22.* WINTRINGHAM *l. c. p. 250*).

(*a*) p. 265.

GENUS SEXTUM INTERMITTENTIUM.

INTERMITTENS NERVOSA.

DEBILITAS nervosa. Absentia signorum alius causæ manifestæ.

Videtur, hic apparatum non magnum esse, cujus ope materia febrilis producitur. Hinc minus ad causas occasionales, majori vero attentione ad ipsam conditionem prædisponentem respiciendum est. Mox ergo in initio cortex peruvianus cum cardiacis & martialibus adhiberi debet. De his etiam forte valent præcipue, quæ de purgantium noxis in febribus intermittentibus leguntur (v. MORTON *Opp. L.* 2. *C.* 10. §. 2). Si in paroxysmis symptomata spasmodica urgent, LIND opiata faustissimo eventu adhibet (*von den Krankheiten der Europäer in heissen Climaten p.* 265.). An hoc de omnibus febribus intermittentibus absque alia relatione valeat, vel an potius febres hujus generis hanc methodum sibi vindicent?

SPECIES.

v. HUXHAM *l. c. T. II. p.* 32.

Hæc sunt, Benevole Lector, quæ secundum eum ordinem, quem vere naturalem vel huic saltim proxime accedentem esse, facillime largieris, tibi exponere studui. Individuorum perfecta cognitione imbutus, notionibus eorundem universalibus facile vacat. Fructus ergo, quos tibi, ut ex omni systemate, sic ex hoc libello decerpere poteris, in ratione erunt inversa cognitionis tuæ morborum individualium. Sicut autem omnes rei cujusdam modificationes ideas universales præbere possunt, sic haud omnes æquali valore atque utilitate operam compensant. Eas, quibus systema præcedens superstruxi, omnium fœcundissimas esse, persuasissimum habeo. Cæteris ergo paribus, maximam utilitatem ex methodo nostra, artis præcepta atque regulas combinandi, contrahes. — Heu! dices, ex uno morbo nunc multos condidisti. An hoc compendii causa? Num tyronis levamine? — Prius minime.

Nomina repetii, res contraxi. Phænomena externa, ab omni alia re abstracta, nec causis juncta, repetita invenies, haud morbos, phænomena sistentes, ex determinatis causis iisdemque perpetuis, profecta. Hinc adparens morborum multiplicatio, revera nulla. Et quidem, si ulla, veritatis gratia. In artis & artificis emendationem. Da speciebus aliud nomen, & difficultas soluta est. Omnino quidem species numerosiores videbis, nec tamen inde commoda promissa infringuntur, quamvis sufficiens jam foret, naturam in culpa esse, excusatio. Quum enim specierum cognitio nulla difficultate prematur, atque in generum diagnosi omne fere practici opus versetur, hæc autem secundum methodum nostram aliis longe minoris numeri sint, merito compendii idque utilissimi nomen methodus nostra meretur. — Cæterum singuli hominis non est, omnia observatione propria confirmandi, hinc semper auctores fide dignos allegavi. — Nimis tandem frequenter mancas observationes deprehendi, quæ saltim illud haud dabant, quod in quæstione erat, & haud raro id illud neglectum vidi, quod, nisi absolute, quoad partem saltim, aliaque simul habita ratione, ad

morbi naturæ cognitionem ducere potuisset. Quodsi ergo verum naturæ tramitem secutus sim, hæc pauca practicorum attentionem concitabunt, ut morborum phænomena, secundum principia nostra, diligenter comparent, unde vel quo carent suppleri, quod verum est corroborari, falsa corrigi queant. Data enim mensura, qua res æstimari possunt, facilius ad emendationem pervenimus, quam ambigua & indeterminata observatione. Hæc fuit ratio, qua permotus sum, ut hanc febrium delineationem jam orbi exhibeam, atque, de fundamentorum utilitate convictus, ædificii emendationem artis nostræ exercitatoribus trado. — Si labores mei scientiæ nostræ utiles judicentur, illos prosequi mens est. Omnem quidem operis ambitum & gravitatem perspicio, at tamen dulce & officium est, pro scientia facere, quamvis unius vires parum efficere valeant.

Hac in secunda hujus libri editione multa emendare & locupletare studui. Totius autem systematis absolutionem in provectius tempus differre, rerum atque virium status jubet. Hinc schema tantum subjungere liceat, hunc ad finem generaliter delineatum. = Ulti-

mo tandem loco monitu opus esse credo, hanc meam *methodum naturalem*, ab *ætiologica Sauvagesii* multum distare. Et quidem hujus differentiæ ratio, in characterum, quibus usus sum, conditione sita est. Methodus enim ætiologica secundum *causarum* differentiam, ordo autem naturalis pro *indicantium* ratione digeritur. Et sic theoria optime cum praxi coincidit.

APPENDIX
ICHNOGRAPHIAM
SYSTEMATIS MORBORUM NATU-
RALIS SISTENS.

ICHNOGRAPHIA SYSTEMATIS MORBORUM NATURALIS.

I. MORBI INFLAMMATORII.

NEGLECTA ſanguinis miſſio. Suppreſſio vel Emanſio hæmorrhagiæ conſuetæ. Plethora ex his cauſis contracta, indeque propenſio ad congeſtiones. Conſtitutio robuſta & ſenſilis, ſit hæc vel naturalis vel ex anni tempeſtate orta, perflante nempe diu Borea, præcipue hyemis tempore. Exæſtuatio. Refrigerium. Vulnus aliaque irritamenta tam interna quam externa. Sanguis ex vena detractus ſpiſſus, cruſta alba vel gryſea obtectus, ac parum vel nil ſeri ſecedens.

GENUS PRIMUM.

FEBRIS INFLAMMATORIA.

Miaſma epidemicum, contagioſum. Pulſus durus, plenus, celer. Lingua arida, aliquanto alba. Febris continens. Cutis initio arida. Urina ante coctionem pro febris intenſitate rubra, declinante autem morbo in colorem lateritium abit, turbatur, atque pulverulen-

tum quid rubrum fecedit. Vires ac fenfilitas bonæ. Corripit abfque multis prægreffis prodromis. Symptomata correfpondentia.

SPECIES.

Hic omnes fpecies generis inflammatoriæ continentis pertinent, v. fupra p. 105 feq.

GENUS SECUNDUM.

MORBUS INFLAMMATORIUS CHRONICUS.

Defunt figna præcedentis generis. Conftitutio corporis debilior & gracilior. Signa ftafeos phlogifticæ.

Methodus antiphlogiftica hic quidem adhibenda, fummo tamen ad vires habito refpectu. Ufus internus medicamentorum irritantium evitandus.

SPECIES.

Plures hæmoptyfeos, incipientis phthifeos, rheumatifmi chronici & inflammationis partium externarum fpecies.

II. MORBI PUTRIDI.

Diffolutio & corruptio partium vel folidarum vel fluidarum.

GENUS PRIMUM.

FEBRIS PUTRIDA.

Signa putredinis humorum (*a*). Febris continens.

(*a*) v. fupra p. 175. feq.

SPECIES.

Febris putridæ continentis ſpecies, v. ſupra p. 189. ſeq.

GENUS SECUNDUM.

Gangræna.

Diſſolutio putrida ſolidorum, perſiſtente ſenſibilitate. Inflammatio prægreſſa nimia. Humorum acrimonia.

Methodus antiſeptica, antiſpaſmodica.

SPECIES.

Hic pertinet, præter eas, quæ inflammationes veras ſequuntur, carbunculus, p. 201.

GENUS TERTIUM.

Sphacelus.

Partes mortuæ, ſeparatione tantum corpus ſanum relinquunt.

Curatio confortans, chirurgica.

GENUS QUARTUM.

Necrosis.

Gangræna ſicca, abſque prævia inflammatione.

SPECIES.

Hic pertinent *Ergot Gallorum*, & ſphacelus digitorum pedis ſpontaneus.

GENUS QUINTUM.

CARIES.

Corruptio offium.

Curatio chirurgica.

SPECIES.

Hic eæ tantum fpecies recenfendæ funt, quibus chirurgico auxilio medetur. Omnes, quæ curationem internam admittunt, & poftulant, ad illas claffes pertinent, quarum indicantia exhibent.

III. MORBI BILIOSI.

Signa colluviei biliofæ in primis viis & circa præcordia (*a*). Conftitutio cholerica. Irritabilitas nimia folidorum.

Hinc demulcentia & emollientia, temperantia & antifpafmodica, denique evacuantia.

ORDO PRIMUS.

FEBRES BILIOSÆ.

Signa turgefcentiæ bilis (*b*). Miafma epidemicum. Contagium. Febris remittens.

Hæc turgefcentia in curatione maxime attendenda eft, quoniam coctionis fpeciem præ fe fert.

GENUS PRIMUM.

Febris biliofo-inflammatoria (*c*).

(*a*) v. fupra p. 208. feq. & Medic. clinic. p. 30 feq.
(*b*) v. fupra p. 210. (*c*) v. fupra p. 281.

GENUS SECUNDUM.

Febris biliofo-putrida (*a*).

ORDO SECUNDUS.

MORBI BILIOSI CHRONICI.

Nulla turgefcentia. Affectiones hæmorrhoidales. Animi pathemata. Digeftio vitiata. Sapor amarus cum lingua fæpe pura.

Hic bilis fecretio plerumque ob difficilem fanguinis per fyftema venæ portarum circuitum vitiata eft, unde irritamenti vim acquirit, & fanguinis congeftiones caufat. Raro etiam colluvies in primis viis aperte hæret, fed potius circa præcordia, i. e. in vefica fellea, & in ipfo hepate ftagnat. Hinc medicamenta folventia. Sanguinis congeftio aut venæ fectione, aut, fi hæmorrhagiæ confuetæ emanferint, hirudinibus fublevanda.

IV. MORBI PITUITOSI.

Signa pituitæ in primis viis (*b*).

GENUS PRIMUM.

FEBRIS GASTRICA PITUITOSA.

Febris remittens (*c*).

GENUS SECUNDUM.

MORBUS CHRONICUS EX PITUITA.

Hic pertinent morbi fic dicti atrabilarii.

(*a*) v. fupra p. 243.

(*b*) v. fupra p. 256. feq. (*c*) v. fupra p. 259. feq.

V. MORBI VERMINOSI.

Conditio corporis debilis, phlegmatica. Conſtitutio aëris frigida & humida. Victus ſordidus, glutinoſus, piſcarius. Symptomata non niſi medicamentis anthelminticis cedentia.

GENUS PRIMUM.

LUMBRICI.

Signa lumbricorum (*a*). Inteſtina tenuia habitant.

GENUS SECUNDUM.

ASCARIDES ET TRICOCEPHALI.

In craſſis inteſtinis tantum habitant. Hinc pruritu, teneſmo, ani dolore & clysmatorum effectu cognoſcuntur.

Hic præter eas ſpecies, quas ſupra allegavi, etiam febres hecticæ ex vermibus pertinent. Sic porro v. c. Cephalalgia, v. RAHN diſſ. de commerc. inter caput & viſc. abdom. §. 5. Mydriaſis & Amauroſis, ibid. p. 24, 26. Triſmus. SAUVAGES p. 532. Tetanus, ibid. p. 544. Epilepſia, HOFFMANN. Opp. T. 3. p. 42. T. 4. p. 351. v. PHELSUM p. 232. PECHLIN L. I. Obſ. 65. L. 2. Obſ. 29. Chorea S. Viti, van DOEVEREN de verm. int. p. 63. SELLE Medic. clin. p. 189. ſeq. Catalepſis,

(*a*) v. ſupra p. 265 ſeq.

talepfis. SWIETEN T. 3. p. 316. SELLE Beyträge T. 2. Sopor. PECHLIN. Obf. L. 2. Obf. 29. HOFFMANN, Opp. T. 3. p. 42. van PHELSUM p. 229. Apoplexia. RAHN l. c. p. 80. Rifus fardonius, v. PHELSUM p. 201. Hæmorrhagia narium, ibid. p. 198. Hæmorrhagia uteri van den BOSCH l. c. p. 104, 153. Suppreffio fluxus menftrui. BISSET Effay on the epidemical conftit. of. Gr. Britain. p. 332.

GENUS TERTIUM.

TÆNIA.

Motus undulatorius in abdomine præcipue fternutationem & alvi dejectionem fequens. Senfatio ponderis in abdomine, locum mutantis.

VI. MORBI LACTEI.

Rariffime ante partum, plerumque in puerperio occurrunt. Lactis e mammis fubitanea retrogreffio vel ejufdem fecretionis impeditio. Alvi dejectio alba. Urina albefcens. Sudores acidi. Saliva lactea, acida. Cruor fanguinis e vena detracti pellicula albefcenti obtectus, vel fero lacteo innatans.

GENUS PRIMUM.

FEBRIS PUERPERARUM.

Signa metaftafeos lactis vel lymphæ ad abdomen (*a*).

(*a*) v. fupra p. 278 feq.

GENUS SECUNDUM.

FEBRIS EXANTHEMATICA.

Ex lactis reditu ad sanguinem sæpissime puerperarum miliaria oriri, verisimillimum est.

GENUS TERTIUM.

INFLAMMATIO PECTORIS.

Signa metastaseos lymphæ ad pulmones.

Anginæ pectoris speciem, probabiliter a lactis vel lymphæ metastasi lethalem vidi, cf. LEVRET Art. des Accouch. §. 887.

GENUS QUARTUM.

MORBI NERVORUM A LACTIS METASTASI.

Apoplexiam hujus generis observavit LEVRET l. c. §. 874. Maniam, pro omni verisimilitate a lactis metastasi ad cerebrum ortam, observavi, v. SELLE Beyträge P. I.

GENUS QUINTUM.

METASTASIS LACTIS VEL LIMPHÆ AD PARTES CORPORIS EXTERNAS.

Hoc in casu materia vel rheumatismum mentitur, vel in suppurationem abit, pro cujus & partium adfectarum differentia species determinandæ sunt, cf. SELLE Beyträge T. 2. p. 69.

VII. MORBI NERVOSI.

Symptomata nervosa nec inter se neque causis manifestis consueto modo respondentia. Summa animi & corporis sensilitas.

Hujus classis morbi ab omnibus aliis irregularitate singulari tam causarum quam phænomenorum ratione differunt. Desunt nempe vel omnino causæ consuetæ, vel etiam longe insufficientes videntur. Horrenda enim adspectui symptomata sæpe a levissimis causis excitantur. Et quum haud raro plurimæ harum causarum concurrant, syndrome inde symptomatum enascit, quæ nullum inter se nexum observant, quin potius maxime invicem contraria sint.

Horum phænomenorum ratio sufficiens plurima ex parte in systemate nervoso singulariter debili ac irritabili latet, quo fit, ut non solum a levissimis causis ægri afficiantur, sed etiam causarum effectus multum ab illis recedant, qui in aliis & consuetis constitutionibus ab iisdem causis producuntur.

Quomodocunque autem ratio systematis nervosi se habeat, semper tamen causa irritans simul adest, quæ ad morbum nervosum producendum symbolam suam confert, ita ut nullus detur morbus nervosus, ex sola nervorum morbosa qualitate originem trahens, sed ratio sufficiens cujusvis morbi nervosi semper simul, in causa quadam irritante, a dicta nervorum morbosa qualitate diversa, quærenda sit. Hoc non solum observatione practica suffulcitur, sed etiam a priori patet, dum hæc nervorum mala conditio magis causæ prædisponentis speciem præ se ferat. Nec obstat, quod sæpe morbi hujus classis ab ideis & animi pathematibus proxime producti videantur, quum certissime alienatio & mutatio quædam in fluidis & solidis prægredi debeat, antequam causæ morales effectus sensibiles causare valeant.

His positis horum morborum divisio in morbos *cum & sine materie* judicari potest. Nullus enim datur mor-

bus, ſtricto in ſenſu, ſine materie, quamvis hæc ſæpe ita exigua eſſe poſſit, ut omnem obſervationem & determinationem fugat. Quo magis autem hæc cauſa irritans ita comparata eſt, ut in conſuetis conſtitutionibus eoſdem effectus producere valeat, eo minori jure tales morbi nervoſorum nomen merentur; quid! quod ipſa ſymptomata nervoſa, tunc *morbum* quidem *nervorum*, haud vero morbum nervoſum ſiſtant. Certos interea hic ponere limites perquam difficile eſt.

Id autem ex generali horum morborum notione ſatis apertum eſt, eos minus ad cauſam irritantem removendam, quam potius ad nervos ſopiendos & roborandos indicare, dum cauſa irritans ſæpe in ſenſus non cadat, nec, ſi etiam manifeſta eſt, removeri poſſit. Si quando enim hæc cauſa irritans ita comparata eſt, ut maximam morbi rationis partem contineat, morbus hujus claſſis non eſt.

Genera pro cauſæ irritantis differentia non ſolum, ſed etiam pro diverſitate conditionis nervoſi ſyſtematis ordinanda ſunt.

ORDO PRIMUS.

FEBRES NERVOSÆ.

v. Genera febrium ordinis atactarum ſupra p. 298.

ORDO SECUNDUS.

MORBI NERVOSI CHRONICI.

GENUS PRIMUM.

MORBI EX IDIOSYNCRASIA.

Nulla univerſalis nervorum debilitas. Obje-

ctorum quorundam magna & insuperabilis aversatio vel cupiditas, quam mox symptomata nervosa sequuntur.

Hic pertinent affectiones quædam gravidarum, animi deliquia ex sensatione felis &c.

GENUS SECUNDUM.

MORBI MORALES.

Causa irritans moralis, nec vitium manifestum in corpore. Functio moralis læsa.

SPECIES.

Amentiæ partiales.

GENUS TERTIUM.

MALUM HYPOCHONDRIACUM ET HYSTERICUM.

Syndrome symptomatum nervosorum, quæ aut facile transeunt, aut opio cedunt.

Causa horum morborum materialis præcipue in debili & irritabili nervorum systemate sita est. Obstructiones viscerum symbolam suam quidem conferre possunt, sed morbus absque illis vere & in omni suo ambitu existere potest. Species describuntur a *Sydenhamo*, *Swietenio*, *Whytt*, *Haenio*, *Tissot* &c.

VIII. MORBI PERIODICI.

Absque prodromis ex improviso adoriuntur

& paroxyſmos obſervant. Urina in intervallis rubra, plerumque ſedimentum lateritium deponens.

Indicant ad reſolventia, antiſpaſmodica, roborantia.

ORDO PRIMUS.

FEBRES INTERMITTENTES.

v. Genera febrium intermittentium ſupra p. 331.

ORDO SECUNDUS.

MORBI CHRONICI PERIODICI.

Abſentia febris. Intervallum raro breve, ſed plerumque hebdomadis vel menſis, imo & anni ſpatium complectens.

GENERA.

v. MEDICUS *Geſchichte period. Krankheiten*.

IX. MORBI EMPHRACTICI.

Signa ſtaſeos frigidæ in conſtitutionibus pituitoſis, atrabilariis.

Hæc claſſis eas tantum obſtructiones comprehendit, quæ non peculiarem & determinatam humorum acredinem pro cauſa materiali agnoſcunt, ſed potius ex mera ſolidorum debilitate & humorum tenacitate originem trahunt.

GENUS PRIMUM.

OBSTRUCTIO VISCERUM.

Hic præter multos alios pertinent morbi ex metastasi in febribus, plures hydropis, febris hecticæ, & hæmorrhagiarum species (*cf.* *v.* SWIETEN *T.* 2. *p.* 462. *T.* 4. *p.* 27. RAHN *diss. cit.*). Præcipue autem infarctus KÆMPFII, *v. Abhandlung von einer neuen Art. &c.* 1784.

Indicant sal ammoniacum, squillam, mercurialia, amara & roborantia. Clysteres viscerales Kæmpfii.

GENUS SECUNDUM.

SCIRRHI.

A tumoribus scrophulosis causis prægressis distinguuntur.

Species pro loci diversitate.

GENUS TERTIUM.

CALCULUS VESICÆ FELLEÆ ET DUCTUS CHOLEDOCHI.

Anxietates & dolores cardialgici post pastum. Icterus periodice & absque aliis causis manifestis recurrens. Dolor in scrobiculo cordis, usque ad costas spurias protendens.

Succi recentes herbarum & radicum amararum. Aquæ minerales.

GENUS QUARTUM.

CALCULUS VIARUM URINARIUM.

Hujus generis ſpecies ſunt calculus renum, ureterum, veſicæ & urethræ, qui omnes chirurgicum auxilium poſtulant. An arena, quæ ſecundum nonnullorum obſervationes nunquam cum calculis coexiſtit, ab iis natura differat? An tranſitum ad arthritidem faciat?

Hic etiam pertinent, v. c. Vertigo PECHLIN Obſ. 15. RAHN p. 86. Tetanus TULP. L. 3. C. 2. Epilepſia PECHLIN Obſ. L. 2. Obſ. 29.

X. MORBI ARTHRITICI.

Diſpoſitio hæreditaria. Corpus magnum, craſſum, plenum. Proclivitas ad ſudorem acidum, præcipue extremitatum. Exercitia corporis mentiſque dura longeque protracta. Victus opiparus. Vina acidula. Paroxyſmos plerumque præcedunt ructus acidi, flatulentia, alvus adſtrictior, motus febriles, ſudores ſolidi intercepti, formicatio & difficilis flexio earum partium, quæ tanguntur. Dolor ſenſim increſcens cum partium plerumque intumeſcentia. Paroxyſmus finitur madore partium dolentium & diaphoreſi, acidum odorem ſpiranti, vomitu materiæ acidæ, urinæ ſedimento arenuloſo, vel nodis calcareis in adfectis partibus enatis.

GENUS PRIMUM.

ARTHRITIS PARTIALIS.

Hic pertinent podagra, chiragra &c.

GENUS SECUNDUM.

ARTHRITIS UNIVERSALIS.

Gicht Germanorum.

GENUS TERTIUM.

ARTHRITIS ANOMALA.

Hic omnes morbi ex retrogreſſione vel impedito expulſu ad extremitates materiæ arthriticæ recenſendi ſunt, v. c. Apoplexia; v. MUSGRAVE de Arthrit. anom. Genev. 1757. p. 129. ſeq. RAHN diſſ. cit. p. 88. ſeq. Amentia arthritica WHYTT Works Contractura arthritica SAUVAGES l. c. p. 539. ſeq.

XI. MORBI RACHITICI.

Morbi ætati infantili & juvenili proprii. Singularis acrimonia, præcipue oſſa depravans.

GENUS PRIMUM.

RACHITIS.

Morbus haud facile ante menſem ſextum

& raro post annum septimum adoriens. Dispositio hæreditaria. Habitus corporis laxus. Humores tenues. Plerumque ingenium acre, nonnumquam stupidum. Acidum in primis viis. Fæces albæ. Obstructio alvi. Insolita capitis magnitudo. Facies pallida & tumida. Frons prominens. Fontanella solito longius aperta. Dentes nigrescunt & facile cariosi evadunt. Costæ planescunt. Sternum anterius propellitur. Artus curvati. Abdominis extensio, præcipue hypochondrii dextri. Apophyses & Epiphyses naturalibus majores & spongiosæ, præcipue extremitatum posteriorum ulnæ, radii, tibiæ & fibulæ. In summo morbi gradu ulcera in partibus glandulosis & articulis.

GENUS SECUNDUM.

PÆDARTHROCACE.

Raro post annum tertium adoritur. Dispositio rachitica. Dolores in certis artuum locis, absque signis externe conspicuis. Tunc tumor oritur, aliquanto tensus, nec durus, sensim rubescens, & tandem in exulcerationem abiens. Ulcus plerumque ad os penetrans.

Hic etiam nonnullæ species spinæ ventosæ pertinent.

GENUS TERTIUM.

Caries vertebrarum.

Difformitas gibbosa. Claudicatio absque caussis manifestis prægressis. Paralysis extremitatum inferiorum. Ulcera & collectiones puris in cruribus & inguinibus.

v. Selle Beyträge zur Natur. und Arzeneiwissenschaft. T. 2.

XII. MORBI SCROPHULOSI.

Glandulæ tumidæ, mobiles, plus minusve duræ, semper tamen scirrhis molliores. Labium oris superius inferiori crassius. Sudores odorem alliaceum spargentes. Eruptiones herpeticæ. Ophthalmiæ & anginæ frequentes.

GENUS PRIMUM.

Tumores scrophulosi.

Species pro loci diversitate ponendæ sunt.

GENUS SECUNDUM.

Herpes scrophulosus.

GENUS TERTIUM.

Inflammationes scrophulosæ.

GENUS QUARTUM.

Exulcerationes scrophulosæ.

GENUS QUINTUM.

GONORRHOEA MALIGNA.

v. infra morb. vener.

XIII. MORBI CANCROSI.

Induratio superficie inæqualis, dolorosa. Exulceratio fœtida, exedens, summe dolorifica.

GENUS PRIMUM.

CANCER SCIRRHOSUS.

GENUS SECUNDUM.

CANCER PHAGEDÆNICUS.

Nulla durities scirrhosa præcedens, sed immediatam cutis vel verrucæ exulcerationem sequens.

Quum cancri natura plane incognita sit, hujus classis subdivisio naturalis locum habere nequit, donec felicior ejusdem curatio fundamenta vera distinctionis præbeat.

XIV. MORBI VENEREI.

Morbi a peculiari viru, commercio sexuali physico contracto, pendentes.

GENUS PRIMUM.

MORBI GONORRHOICI.

Defluxiones materiæ acris, contactum im-

purum fequentes. Inflammationes, exulcerationes & dolores ex abforbtione hujus materiæ provenientes.

Curatio antiphlogiftica. Differentia therapeutica inter morbos gonorrhoicos & illos, quos fchancrofos nuncupare liceat, hodie unanimi fere confenfu agnofcitur. Nec probabilitate caret, virus gonorrhoicum fchancrofo longe vetuftius atque originis ratione ab illo toto cœlo diverfum effe (*cf.* CELEBERRIMI HENSLERI *Gefchichte der Luftfeuche. Altona 1783*). Et hac ratione hi morbi cum fchancrofis ad unam eandemque claffem naturalem referre; fyftematis naturalis principia prohibent, & potius analogiæ ratione morbis fcrophulofis adnumerandi forent. His autem nondum extra omnem dubitationem pofitis, confuetum ordinem fequi malui.

GENUS SECUNDUM.

MORBI SCHANCROSI.

Ulcera contactum impurum fequentia & mala inde fecundarie producta.

Mercurialium ufum indicant, nec fine eis curationem tutam admittunt.

SPECIES.

Dolores, maculæ, tumores, inflammationes & exulcerationes.

XV. MORBI SCABIOSI.

Hæc claffis omnia exanthemata chronica & vitia cutis comprehendit (*v.* SELLE *Med. clin. von den chronifchen Auffchlägen*).

Horum morborum natura in acredine, cuti præ aliis partibus peculiariter propria, sita est. Curatio ergo specifica, & plurima ex parte externa; pro cujus diversitate genera determinanda sunt.

XVI. MORBI SCORBUTICI.

Habitus corporis lividus, tumidus. Corporis torpor & animi dejectio. Cutis arida. Gingivæ tumidæ, sanguinolentæ, spongiosæ, a dentibus solutæ. Spiritus fœtidus ab impuritatibus primarum viarum non pendens, facile deficiens. Maculæ & ulcera mala. Hæmorrhagiæ absque congestionibus. Animi deliquia mutato aëre atmosphærico. Ossium fragilitas.

GENUS PRIMUM.

SCORBUTUS EPIDEMICUS.

Humiditas. Frigus. Mala & dyspepta diæta. Hinc regionum septemtrionalium incolis & nautis consuetus & veteribus ignotus.

Curatio diætetica.

GENUS SECUNDUM.

SCORBUTUS SPORADICUS.

Acrimonia rheumatica & impedita sanguinis per viscera abdominis circulatio prædisponunt. Omnia quæ cutis perspirationem impedire, solida relaxare & digestionis officinam

lædere valent, caufarum occafionalium munere funguntur.

Curatio refolvens, attenuans, aperiens.

XVII. MORBI VENENOSI.

Caufa phyfica, facile lethalis.

GENUS PRIMUM.

MORBI A VENENO ACRI.

Dolor urens & pungens in œfophago, ventriculo & inteftinis. Vomitus & diarrhœa abfque aliis caufis internis. Urinæ miffio vel impedita vel maxime dolorofa. Facies lurida. Meteorifmus.

Hic pertinent morbi ab affumptis mercurialibus caufticis, arfenico, medicamentis drafticis, cantharidibus &c.

GENUS SECUNDUM.

MORBI A VENENO NARCOTICO.

Vertigo, naufea & vomitus abfque aliis caufis internis. Anxietas & ftupor. Mydriafis. Pulfus tardus. Facies pallida. Sudores frigidi. Status foporofus.

SPECIES.

v. SAUVAGES Nof. meth. l. c. BOERHAVE Præl. Acad. Vol. 6. p. 388. HILDANI obf. chirurg. C. I. Obf.

34. TRALLES de Opio S. I. p. 88. LUDWIG Adverf. med. pract. Vol. I. P. 4. Journal de Médécine T. 11. p. 119. T. 18. p. 144. Sammlung, für pract. Aerzte B. 2. St. 2. p. 64.

GENUS TERTIUM.

MORBI A VENENIS ADSTRINGENTIBUS.

Obftructio vifcerum & tabes abfque caufis confuetis prægreffis.

SPECIES.

v. c. ex plumbo, v. HAEN rat. med. T. 3. C. 2.

GENUS QUARTUM.

MORBI A VENENO EXTERNO.

Hic præter hydrophobiam & viperarum morfum etiam morbi ex aëris & atmofphæræ vitio pertinent.

XVIII. MORBI ORGANICI.

Hæc claffis non folum morbos externos, fed etiam vitia organica interna comprehendit. Non omnes morbi autem externi hic pertinent, fed ii tantum hic recenfendi funt, quibus auxilio mechanico medetur. In hoc enim indicante character effentialis hujus ordinis fitus eft.

SYNO-

SYNOPSIS RERUM.

Pag.
Introductio 3
de tractationis objecto 5
--- nosologiæ objecto 11
--- morbo 17
--- symptomate 24
--- morbi natura 27
--- causa morbi 35
--- morbo profligando 44
--- methodo morbos ordinandi 46

Ordines, genera & species febrium secundum differentiam naturalem . 83

Febris 85

Ordo primus

Continentes 92

Genus primum continentium

Continens inflammatoria 97

Species continentium inflammatoriarum

(a) Simplex 105
(b) complicatæ 107

(α) *Cum inflammatione locali*
I. Phlegmone 110
1. Inflammatio oculorum
(a) externa 117
(b) interna . . . . . . ibid.

Pag.

2. Inflammatio aurium
(a) externa 117
(b) interna . . . . ibid.
3. Inflammatio laryngis membranacea . 118
4. Inflammatio pharyngis . . . . ibid.
5. - - - - - laryngis 119
6. - - - - - linguæ 120
7. - - - - - asperæ arteriæ . . ibid.
8. - - - - - bronchiorum . . . ibid.
9. - - - - - pleuræ 121
10. - - - - - mediastini 124
11. - - - - - pericardii 125
12. - - - - - diaphragmatis . . . ibid.
13. - - - - - pulmonum 128
14. - - - - - pleuræ & pulmonum . 130
15. - - - - - hepatis . . . . . ibid.
(a) partis convexæ . . . . ibid.
(b) concavæ 132
(c) cystidis felleæ . . . . ibid.
16. Inflammatio lienis . . . . . ibid.
17. - - - - - cordis . . . . . ibid.
18. - - - - - renum 133
(a) vera . . . . ibid.
(b) calculosa . . . . . . ibid.
19. Inflammatio vesicæ urinariæ . . 134
20. - - - - - uteri . . . . . ibid.
21. - - - - - ventriculi 135
22. - - - - - intestinorum . . . 136
(a) tenuium . . . . . . ibid.
(b) crassorum . . . . . . ibid.
23. Inflammatio mesenterii . . . ibid.
24. - - - - - omenti 137
25. - - - - - cerebri . . . . . ibid.
II. Erysipelas 140
III. Rheumatismus 142
(a) universalis 143
(b) in juncturis 144
(c) in lumbis . . . . . . ibid.
(d) in coxa . . . . ibid.

Pag.
(e) In latere 144
(f) in hypocondrio dextro . . 145

(β) *Cum Catarrho* 146

1. Catarrhus narium 147
2. - - - pulmonum . . . . . ibid.

(γ) *Cum dysenteria* 149

Species . . . . ibid.

(δ) *Cum exanthematibus* 152

1. Pestis 153
2. Variolæ 156
3. - - - spuriæ 162
4. Morbilli 164
5. Rubeolæ 165
6. Febris scarlatina 166
7. - - urticata 167
8. Essera . . . . ibid.
9. Febris erysipelatosa 168
10. - - miliaris 169
11. - - bullosa 172
12. - - aphthosa . . . . ibid.
13. - - petechialis 173

Genus secundum continentium.

Continens putrida. 175

Species continentium putridarum.

(a) simplex 189
(b) complicatæ 190

(α) *Cum inflammatione locali.*

	Pag.
I.	192
1. Inflammatio pharyngis	194
2. - - - - pleuræ	195
3. - - - - pulmonum	ibid.
4. - - - - pleuræ & pulmonum	196
5. - - - - hepatis	ibid.
6. - - - - uteri	ibid.
7. - - - - cerebri	ibid.
II. Eryfipelas	197
III. Rheumatifmus	ibid.
(β) *cum catarrho*.	
1. Catarrhus narium & faucium	198
2. - - - - pulmonum	ibid.
(γ) *cum dyfenteria*.	
Species	199
(δ) *cum exanthematibus*	200
1. Peftis	201
2. Carbunculus	ibid.
3. Variolæ	202
4. Morbilli	203
5. Rubeolæ	ibid.
6. Scarlatina	204
7. Febris eryfipelacea	ibid.
8. Miliaria	205
9. Febris bullofa	ibid.
10. - - aphthofa	ibid.
11. - - petechialis	206

Ordo fecundus.

Remittentes	207
A. Cum colluvie impura primarum viarum	208

Pag.

Genus primum remittentium gastricarum

Febris biliosa inflammatoria 220

Species.

(a) simplex 222
(b) complicatæ 223

(α) *Cum inflammatione locali*

I. . . . . ibid.
1. Inflammatio oculorum . . . 225
2. - - - - - pharyngis . . ibid.
3. - - - - - pleuræ . . . 226
4. - - - - - - - & pulmonum ibid.
5. - - - - - pulmonum . . 228
6. - - - - - hepatis . . . 229
7. - - - - - intestinorum . . ibid.
8. - - - - - - - & omenti 230
9. - - - - - renum . . . ibid.
10. - - - - - uteri . . . 231

II. Erysipelas 232

III. Rheumatismus . . . . ibid.

(β) *Cum Catarrho:*

1. Catarrhus narium . . . 234
2. - - - - - pulmonum . . ibid.

(γ) *Cum dysenteria.*

Species 235

(δ) *Cum exanthematibus* 236

Pag.
1. Pestis 237
2. Variolæ . . . . ibid.
3. Morbilli 238
4. Febris scarlatina . . . . ibid.
5. - - - urticata 239
6. Essera . . . . ibid.
7. Febris erysipelatosa . . . ibid.
8. Febris miliaris 240
9. - - - aphthosa 241
10. - - - petechialis 242
11. - - - bullosa . . . . ibid.

Genus secundum remittentium gastricarum.

Febris biliosa putrida 243

Species.

(a) simplex 246
(b) complicatæ 248

(α) *Cum inflammatione locali* ibid.

1. Inflammatio pharyngis . . 249
2. - - - - - - pleuræ . . . ibid.
3. - - - - - - - & pulmonum 250
4. Inflammatio pulmonum . . ibid.
5. - - - hepatis . . . ibid.
6. - - - ventriculi . . . 251
7. - - - intestinorum . . ibid.
8. - - - uteri . . . . ibid.

II. Rheumatismus . . . . ibid.

(β) *Cum Catarrho* 252

(γ) - *dysenteria* . . . . . . ibid.

Pag.
(δ) - *exanthematibus* 253
1. Pestis . . . . ibid.
2. Variolæ . . . . ibid.
3. Morbilli . . . . ibid.
4. Febris scarlatina . . . . . ibid.
5. - - erysipelatosa 254
6. - - miliaris . . . . . ibid.
7. - - petechialis . . . . ibid.
8. - - aphthosa 255

Genus tertium remittentium gastricarum.

Febris cum colluvie pituitæ in primis viis. 256

Species.

(a) simplex 259
(b) complicatæ . . . . . . ibid.

(α) *Cum inflammatione locali* . . ibid.
1. Inflammatio pharyngis 260
2. - - - pulmonum . . . ibid.
3. - - - hepatis . . . . ibid.
4. - - - ventriculi . . . ibid.

(β) *Cum Catarrho* 261

1. Catarrhus pulmonum . . . . ibid.

(γ) *Cum dysenteria* 262

(δ) *Cum exanthematibus* 263
1. Miliaria . . . . ibid.
2. Febris petechialis 264

B. Cum colluvie verminosa in primis viis . . 265

Genus primum febrium verminosarum . . 268
Febris verminosa inflammatoria . . . ibid.

Pag.
Species 268
(a) simplex . . . . ibid.
(b) complicatæ . . . . ibid.

(α) *Cum inflammatione locali* . . . ibid.
1. Inflammatio oculorum . . . 269
2. - - - - - pleuræ & pulmonum ibid.
3. - - - - - pulmonum . . ibid.

II. Rheumatismus 270

(β) *Cum catarrho* . . . . . . ibid.

(γ) *Cum exanthematibus* . . . ibid.
1. Febris erysipelatosa . . . ibid.

Genus secundum febrium verminosarum . . 271
Febris verminosa putrida . . . . . . ibid.

Species . . . . ibid.
(a) simplex . . . . ibid.
(b) complicatæ 272

(α) *Cum inflammatione locali* . . ibid.
1. Inflammatio pleuræ & pulmonum . ibid.

(β) *Cum exanthematibus* . . . . ibid.
1. Febris petechialis . . . . ibid.

C. Cum metastasi lactis ad viscera abdominis . 273

Species 278
1. Ex constitutione bilioso-inflammatoria ibid.
2. Ex animi pathemate . . . . . ibid.
3. Ex refrigerio . . . . . . ibid.
4. Ex inflammatione . . . . . ibid.

D. Ex ulcere interno 280

Species 283

pag.
1. Exulceratio pulmonum 283
2. Empyema 285
3. Exulceratio hepatis . . . . ibid.
4. - - - lienis 286
5. - - - pancreatis . . . . ibid.
6. - - - renum . . . . . ibid.
7. - - - uteri 287
8. - - - omenti . . . . . . ibid.
9. - - - mesenterii 299
10. - - - ventriculi & intestinorum . 288

B. Ex obstructione viscerum 289
Species 291
1. Hectica hepatica . . . . . ibid.
2. - - - mesenterica . . . . ibid.

Ordo tertius 292
Atactæ . . . . ibid.

Genus primum atactarum. 298
Febris nervosa acuta sporadica . . ibid.

Species 299
1. Phrenitis . . . . ibid.
2. Febris soporosa . . . . . ibid.
3. Hydrophobia 300
4. Febris nervosa acuta puerperarum 301

Genus secundum atactarum . . . 302
Febris nervosa acuta ex contagio ibid.

Species 303
1. Sudor anglicus . . . . . . ibid.
2. Pestis acutissima 304
3. Febris nervosa putrida 307
(a) Pestis 308
(b) Stadium tertium febrium bilioso-putridarum . . . . . ibid.

	Pag.
Genus tertium atactarum	310
Febris lenta nervosa	ibid.
Species	320
(a) simplex	ibid.
(b) complicatæ	321
(α) *Cum exanthematibus*	322
1. Variolæ	ibid.
2. Morbilli	323
3. Miliaria	324
4. Scarlatina	ibid.
5. Pemphygus	325
(β) *Cum dysenteria*	ibid.
Ordo quartus	326
Intermittentes	ibid.
Genus primum intermittentium	331
Intermittens inflammatoria	ibid.
Species	
(a) simplex	ibid.
(b) complicatæ	ibid.
1. Inflammatio oculorum	ibid.
2. - - - - pleuræ & pulmonum	ibid.
3. - - - - pulmonum	ibid.
Genus secundum intermittentium	333
Intermittens inflammatoria biliosa	ibid.
Species	335
(a) simplex	ibid.
(b) complicatæ	ibid.
1. Inflammatio pleuræ & pulmonum	ibid.
Genus tertium intermittentium	336
Intermittens biliosa putrida	ibid.

	Pag.
Species	337
Genus quartum intermittentium . .	338
Intermittens pituitosa	ibid.
Species	ibid.
Genus quintum intermittentium . .	339
Intermittens verminosa	ibid.
Species	ibid.
Genus sextum intermittentium . .	340
Intermittens nervosa	ibid.
Species	ibid.
Appendix	347
Classes morborum naturales.	
1. Morbi inflammatorii	347
2. - - - putridi	348
3. - - - biliosi	350
4. - - - pituitosi	351
5. - - - verminosi	352
6. - - - lactei	353
7. - - - nervosi	354
8. - - - periodici	357
9. - - - emphractici	358
10. - - - arthritici	360
11. - - - rachitici	361
12. - - - scrophulosi	363
13. - - - cancrosi	364
14. - - - venerei	ibid.
15. - - - scabiosi	365
16. - - - scorbutici	366
17. - - - venenosi	367
18. - - - organici	368

INDEX SYNONYMORUM.

A.

	Pag.
Amphimerina hungarica	246
- - *peripneumonica*	228
Angina absque tumore	219
- - *biliosa*	225
- - *cum tumore*	119
- - *maligna*	194, 249
- - *membranacea*	218
- - *polyposa*	*ibid.*
- - *pectoris*	220
Aphthæ febrilis.	272
- - *maligna*	205

C.

Carbunculus benignus	202
Carditis	232
Causus	222
Cephalitis spontanea	239
Chemosis	227
Chicken-Pox	262
Colica inflammatoria	229
Continua non putris	206
Coups de soleil	237
Cynanche	218
- - - *sanguinea*	*ibid.*
Cynanche synochalis	226
- - - *trachealis*	119. 220
Cystitis	234

Pag.

D.

Dysenteria bilioso-contagiosa 252
– – – *maligna* 225

E

Elodes 303
Enteritis colica 136
– – *iliaca* . . . . ibid.
– – *mesenterica* . . . . . ibid.
Entzündung der Hirnhäute 137
Ephemera britannica 303
Epidemic low fever 320
Epiploitis vera 137
Erysipelas pulmonum 147
– – – *rosa* 168
– – – *typhodes* 204
Essera 167

F.

Febricula 320
Febres a bile 208
– – *gastricæ* . . . . . . ibid.
– – *mesentericæ* . . . . . ibid.
– – *phthisicæ* 280
Febris anginosa 225
– – *ardens* 222
– – *bullosa maligna* 205
– – *carcerum* 179
– – *catarrhalis benigna* 147
– – *epidemica* 234
– – *catarrhalis maligna* 198
– – *cholerica* 222
– – *dysenterica* 149
– – – – *putrida* 252
– – – – – *maligna* 197

	Pag.
Febris flava putrida	246
- - *glutinosa gastrica*	259
- - *hectica maligna*	320
- - - *verminosa*	268
- - *Indiæ occidentalis flava maligna*	248
- - *Inflammatoria simplex*	106
- - *intermittens maligna*	337
- - *lenta maligna*	320
- - - - *nervosa*	ibid.
- - *maligna*	189
- - - - - *biliosa Americæ*	246
- - *nautica*	254
- - *pestilentialis*	307
- - *petechizans Germanorum*	242
- - *puerperarum*	230, 247, 273
- - *putrida*	189, 246
- - - - - *cum diathesi phlogistica*	222
- - *rheumatica arthritica*	144
- - *urticata*	267
Fievre de Mattelotte	246

G.

Gaol fever	254
Gastritis legitima	135
Gastrodynia ulcerosa	288
Glossitis	120

H.

Hectica chlorotica	291
- - - *hepatica*	285
- - - *mesaraica*	287
- - - *nephritica*	286
- - - *omentalis*	287
- - - *splenetica*	286
- - - *stomachica & intestinalis*	288
Hepatalgia apostematosa	285

Pag.
Hepatitis cystica 132
- - - *muscularis* 145
- - - *pleuritica* 130
- - - *spuria* 145
Hospital fever 189
Hydronosos 303
Hydrophobia spontanea 300
Hysteralgia ulcerosa 287

I.

Jail-fever 189
Ignis persicus 201
Ischias rheumaticum 145

L.

Lethargus 299
Litle fever 320
Lumbago rheumatica 144

M.

Mal de gorge ulceré 194
Maladie de Siam 246
Marasmus senilis 291
Marsh fever 246
Metritis 134
- - - *typhodes* 196, 252
Miliaris purpurata 205
Morbi purulenti 280
Morbus crassus 321
- - *cardiacus* . . . . ibid.

N.

Nephralgia purulenta 286
Nephritis calculosa 133

	Pag.
Nephritis vera	133
Nervous fever	320

O.

Οἴδημα ἐγκεφάλου	137
Ophthalmitis	117
Otites externus	*ibid.*
- - *internus*	*ibid.*

P.

Pædenchone	294
Paratrophia	291
Passio cardiaca	321
Pemphigus	172, 220
- - *indicus*	205
Peripneumonia	128
- - - *ardens*	228
- - - *biliosa*	*ibid.*
- - - *catarrhalis*	147, 234
- - - *notha*	147, 198, 234
- - - *pura*	128
- - - *putrida*	195
- - - *spuria atrabilaria*	261
- - - *typhodes*	250
Phrenitis	299
Phthisis pulmonalis	283
Phthisis nervosa	291, 321
Pleuresie maligne	250
Pleuritis	130
- - *biliosa*	226
- - *dorsalis*	124
- - *erysipelacea*	227
- - *humida*	130
- - *intermittens*	335
- - *pericardii*	225
- - *periodica*	332

	Pag.
Pleuritis putrida	196, 269
- - *ficca biliosa*	226
- - *sine sputo*	222
- - *spuria*	144
- - *vera*	121
- - *verminosa*	269
Pleuroperipneumonia	230
- - - - *putrido-verminosa*	272
Porcelaine	167
Purpura benigna	173
- - *maligna*	206
- - *symptomatica*	242
- - *verminosa*	272
Putrid sore throat	194
Pyrosis ulcerosa	288

R.

Remitting fever of the camp	222
Rheumatismus acutus	142
- - - *arthriticus*	144
- - - *calidus*	142
- - - *inflammatorius*	ibid.
- - - *vagus*	143
- - - *verus*	142
- - - *verminosus*	270
Rhumatisme avec fievre	142
Rhume	146
Rossalia	165
Rubeola anomala	203

S.

Scarlatina maligna	204
- - *urticata*	167
Senegal fever	189
Simple inflammatory fever	106
Slow fever	320

	Pag.
Spitz-Pocken	162
Splenalgia suppuratoria	286
Splenitis	132
Stadium tertium febris carcerum	308
- - - - *flavæ Americæ*	309
- - - - *anginæ malignæ*	ibid.
Sudor anglicus	303
Suffocatio stridula	118
Swine-Pox	162
Synanche	118, 119
Synocha simplex	106
Synochus imputris	ibid.
- - *non putris*	222
- - *putris*	189
- - *rheumatisans*	142

T.

Tabes dorsalis	291, 328
- - *hepatica*	298
- - *mesenterica*	ibid.
Typhus comatosus	299
- - *exhaustorum*	321
- - *Hippocratis*	ibid.
- - *Icterodes*	246

U.

Ulcerated sore throat	249

V.

Variolæ crystallinæ	322
- - *inflammatoriæ*	156
- - *regulares*	ibid.
- - *sanguineæ*	202
- - *verrucosæ*	322
Vomito preto	246

Pag.

W.

Wasserpocken 162
Windpocken . . . . . . ibid.

Y.

Yellow fever 246